

Narodna in univerzitetna knjižnica  
v Ljubljani

54526

1903 dodatek

APPENDIX AD SYNODUM

Celebratam  
ANNO 1903











*Lovro Sedej O.M.*

*6. XI. 20*

# APPENDIX

AD

# SYNODUM DIOECESANAM

# LABACENSEM

CELEBRATAM

ANNO 1903



*[Handwritten signature]*



LABACI.

SUMPTIBUS ORDINARIATUS.

TYPIS TYPOGRAPHIAE CATHOLICAE.

1904.

+54526

ALPHABET

SYMBOLS DIRECTORIES

ALPHABET

ALPHABET

ALPHABET

54526



*FLC 733 / 1953*

030041274

LIBRARY OF THE NATIONAL UNIVERSITY OF LJUBLJANA



## Introductio.

In hac appendice ad „Synodum dioecesanam“ breviter evolvere mihi proposui illas veritates religionis christianae, quae e diametro oppositae sunt erroribus in dioecesi nostra propagatis.

Enucleatis doctrinis de Dei existentia et essentia atque de creatione uberius exploravi veritates de revelatione, deinde praecipue illas de ecclesia catholica. Praeter libros sub titulo „philosophia Lacensis“ editis usus sum, inprimis tractans de revelatione et ecclesia, auctoribus P. Christiano Pesch S. J., qui in 8 tomis edidit suas „Praelectiones dogmaticas“ et P. Herrman e congregatione Ss. Redemptoris, qui in 3 tomis vulgavit suas „Institutiones theologiae dogmaticae“.

Non solum lectioni, sed etiam meditationi omnium valde commendo paragraphos de dominio Dei Creatoris, de dominio Dei Salvatoris nec non de obligatione vi huius domini nobis imposita adhaerendi ecclesiae Christi, si ad Christum atque per Illum ad Deum, finem nostrum ultimum, feliciter pertingere volumus.

Quibus tractatibus absolutis inde a titulo IV. usque ad finem doctrinas proposui pernecessarias de relatione inter scientiam et fidem, de statu civili eiusque relatione ad ecclesiam, de libertate et liberalismo, deque quaestione sociali. Secutus sum praeclaras expositiones Leonis Pp. XIII. in eiusdem magnificis litteris encyclicis, quas in se difficiles per capita distribui et paragraphos, quo magis perviae omnibus sacerdotibus eae redderentur.

Valde desidero, ut in conferentiis Sodalitatis singula capita legantur atque discutiantur eum in finem, ut omnes sacerdotes imbuti veris doctrinis de scientia, de libertate, de statu civili, deque quaestione sociali in dies aptiores evadant ad instruendum populum nec non ad confutandos apostolos multiformis erroris.

Benedictio Dei descendat super nos et maneat semper.

† *Antonius Bonaventura*  
*Episcopus.*



# De veritate christiana et erroribus oppositis.

In dioecesi nostra multi errores veritati christianaee oppositi quaqueversus circumferuntur. Quam ob rem ea veritatis christianaee capita, quae erroribus explodendis apta sunt, ita dilucidantur, ut falsitas errorum facile detegi et perspicere possit.

## Titulus I.

### De Deo uno.

Relate ad Deum eiusque cognitionem et naturam multi errores sparguntur. Nam de ipsa Dei existentia dubitatur, pantheismus et materialismus propugnantur, praecipue autem Dei absolutum dominium negatur. Oportet ergo in veritatem christianam de *Dei existentia et essentia, de Deo creatore et de Dei dominio* investigare.

### Cap. I.<sup>1)</sup>

#### De existentia Dei.

*Duplex genus probationum* datur, quibus existentia Dei certo cognoscitur: est enim *probatio alia quasi naturalis* cuiuscumque pervia, et alia magis *scientifica*, atque imprimis a doctoribus scholasticis exulta.

---

<sup>1)</sup> Jungmann: „de Deo uno et trino“; pg. 5. sqq. — Pesch, „de Deo uno et trino“; pg. 4. sqq.

**Probatio naturalis.**

Cum doctoribus ecclesiae tenemus, *existentiam Dei naturali rationis lumine certo cognosci posse*; nam Deus ipse sese cognoscendum hominibus exhibet manifestatione aliqua naturali, universali et sufficiente, ut a quolibet homine ratione utente cognitio Dei personalis, ab hoc universo distincti, absque magna difficultate comparari possit.

Quae manifestatio Dei naturalis continetur *spectabili hoc universo secundum triplicem eiusdem ordinem: sc. physicum, ethicum, historicum.*

*Ordo physicus* exhibet Dei manifestationem, eo quod „*invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*“<sup>1)</sup>, et quod „*a magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri*“<sup>2)</sup>.

*Ordo moralis* naturaliter ducit in Dei cognitionem, quatenus homo naturaliter scit, se esse sub supremo aliquo legislatore, cui de factis suis respondere debeat. Homo enim non solum discrimen inter bonum et malum intelligit, sed absolute et quavis in conditione adstrictum se cognoscit legi morali et obligatum ad eam servandam. Sed talis cognitio legis et absolutae obligationis includit cognitionem Dei ut principii obligantis.

Ita etiam S. Paulus docet, qui, postquam enarravit vitia gentium, pergit: „*Qui cum iustitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*“<sup>3)</sup> Quibus verbis clare exprimitur, gentes scire peccata esse lege Dei prohibita. Quam cognitionem apostolus affirmat esse naturalem, nam illam opponit legi positivae, sc. mosaicae.

In *ordine historico* pariter ab homine Deus cognoscitur. Etenim, quum homo facile persentiat, sortem ipsius non in manu sua positam esse, neque iuxta arbitrium suum res atque negotia a se posse dirigi, veluti sponte apprehendit

1) Rom. 1, 20. — 2) Sap. 13, 5. — 3) Rom. 1, 32.



sub hoc quoque respectu dependentiam ab ente supremo et summo provisoro, qui tum singulorum hominum sortes moderatur, tum populorum ac nationum ortus, progressus, interitus sapienti consilio disponit.

Hac de manifestatione Apostolus loquitur Lystrensibus Deum vivum annuntians, „*qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra.*“<sup>1)</sup>

Doctrinam hanc de Dei existentia rationis lumine cognoscenda *Patres et Doctores* quoque christiani inde a primordiis ecclesiae excoluerunt. Persuasi enim fuerunt: 1. Spectabili hoc universo contineri Dei existentis manifestationem ad rationem humanam; 2. hanc Dei manifestationem rationisque insitam vim ita esse comparatam, ut in animis omnium, qui rationis functionem non oppresserunt, cognitio aliqua Dei saltem confusa ex ipsa obvia universi consideratione, citra aliam de Deo institutionem et disciplinam veluti sponte sua oriatur; 3. ad hanc primitivam cognitionem ex ipsa universi consideratione excolendam, ut plenior evadat atque distinctior, tum obiective splendorem in creaturis, tum subjective vires rationis non deesse<sup>2)</sup>.

## §. 2.

### ***Probatio scientifica.***

Ex hac primitiva et spontanea cognitione existentiae Dei concludimus, *demonstrationem existentiae Dei scientificam, eamque certam et omnino solidam a ratione humana confici posse.* Illam profecto essentialem dependentiam hominis et totius universi in suo triplici ordine, instituta reflexa meditatione, distinctius atque luculentius cognoscere et apto modo oculis obiiicere possumus. Dum vero hac ratione

<sup>1)</sup> Act. 14, 15. 16.

<sup>2)</sup> Theoph. Antioch. ad. Antolic. l. 1. n. 1. 7. Clemens Alex. Strom. l. 5. Gregorius Naz. orat. theol. 2. n. 5. 16.



elementa evolvimus, quae in ipsa naturali et obvia cognitione existentiae Dei continentur, nimirum in cognitione relucente ex manifestatione Dei in ordine physico, ethico et historico, scientificam demonstrationem a posteriori illius veritatis, eamque plane evidentem conficimus.

Etiam *scholastici docent existentiam Dei scientificè demonstrari posse*. Secundum S. Thomam opinio, Deum demonstrari non posse, est „opinio manifeste falsa“<sup>1)</sup>, est „error et sententia, cuius falsitas nobis ostenditur apostolica auctoritate Rom. 1.“<sup>2)</sup> S. Thomam vero secuti sunt doctores vix non omnes usque ad nostra tempora.

Secundum hos doctores existentia Dei *non quidem a priori* ex conceptu Dei, *sed multiplici modo a posteriori* probari potest.

Argumentum S. Anselmi ex idea Dei qua entis perfectissimi a S. Thoma non admittitur, quia ordo idearum et ordo rerum in eo arbitrarie confunduntur. *Proponuntur autem a S. Thoma argumenta a posteriori, sc. ex effectibus*. „Cum enim effectus aliquis nobis est manifestior, quam sua causa, per effectum procedimus ad cognitionem causae . . ., quia, cum effectus dependant a causa, posito effectu, necesse est causam praeexistere.“ „Per effectus quidem non proportionatos causae non potest perfecta cognitio de causa haberi, sed tamen ex quocumque effectu potest manifeste nobis demonstrari Deum esse, licet per eos non perfecte possimus eum cognoscere secundum suam essentiam.“<sup>3)</sup>

Sunt autem *effectus Dei naturales et supernaturales*. *Naturales sunt macrocosmus et microcosmus*.

Ex *macrocosmo* seu mundo Deus cognoscitur tum per argumentum *metaphysicum*, quo ex ente contingenti, mutabili, finito inferitur ens necessarium, aeternum, infinitum; tum per argumentum *physicum* vel *teleologicum*, quo fit conclusio ex ordine ad ordinatorem, ex opificio ad opificem.

1) De verit. q. 10. a. 12.

2) Contra gent. I. I. c. 12.

3) S. Thomas S. th. I. q. 2. a. 2.



Ex *microcosmo* seu homine Deus cognoscitur tum per argumentum *psychologicum*, quo ex animae natura rationali auctor huius naturae et moderator probatur; tum per argumentum *ontologicum*, quo Deus ostenditur fundamentum ontologicum immutabilium sempiternarumque idearum; tum per argumentum *ethicum*, quo Deus ordinis moralis institutor et vindex intelligitur; tum per argumentum *eudaimonologicum*, quo Deus exhibetur ut terminus appetitus nostri, quo volumus beati esse; tum per argumentum *mysticum*, quo videmus hominem in suis necessitatibus quasi naturali instinctu ad Deum ut misericordem parentem confugere; tum per argumentum *historicum*, quo invenimus Deum populorum et nationum omnipotentem et sapientem rectorem et auctorem mirabilium illarum conversionum, quibus effectum est, ut humana familia vel in suam perniciem ruens cohiberetur, vel torpore stertens excitaretur, vel ad meliora progrediens novo perfusa lumine novisque aucta viribus excitaretur; tum denique per argumentum ex *universali persuasione* generis humani de existentia Dei, atque ex *utilitate et necessitate huius persuasionis* ad conservationem totius ordinis moralis et socialis.

*Effectibus vero Dei supernaturalibus* respondet argumentum *theologicum*. Nam existit series factorum supernaturalium, ut sunt miracula et prophetiae, quae non minus, quam alia facta historica sunt naturaliter cognoscibilia, quaeque cognita ducunt in cognitionem causae suae, quae causa, cum in ambitu rerum creatarum nulla sit, necessario est ens ab hac rerum complexione diversum, potentissimum, sapientissimum, sanctissimum. Huc pertinet historia populi israelitici, origo et mirabilis profectus religionis christianae, nec non magna mutatio morum per religionem christianam effecta.

Quorum argumentorum tanta est vis, ut vix reperiri possit homo mentis compos, qui non aliquando saltem numen aliquod agnoverit. „*Haec est vis verae divinitatis*“, inquit S. Augustinus, „*ut creaturae rationali iam ratione utenti non omnino ac penitus possit abscondi.*“<sup>1)</sup> Quapropter

<sup>1)</sup> Tract. 106. in Joan.



inexcusabilis est homo, qui Dei existentiam non agnoscit; neque in hac re ulla dari potest ignorantia invincibilis, saltem ad tempus notabile.

Inde haud mirum, quod *Concilium Vaticanum* in constitutione de fide catholica statuerit: „*Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse.*“ 1) „*Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, anathema sit.*“ 2)

## Cap. II.<sup>3)</sup>

### De Dei essentia.

Doctores nostri affirmant, rem esse omnibus notam atque evidentem, Deum esse, tametsi quid sit, neque capere animo, neque explicare oratione possimus. Verumtamen hac assertionem non omnem cognitionem essentiae divinae negant; etenim sine notione aliqua quidditatis nec existentiam rei intelligere possemus.

Quia vera notio essentiae et attributorum Dei propter errores pantheistarum valde necessaria est, ideo de hoc quoque obiecto veritas christiana proferatur.

#### §. 1.

#### *De cognitione essentiae divinae.*

Revera Deum, *ut in se est*, in hac vita mortali *cognoscere non possumus; quadamtenus tamen ac per analogiam, quid Deus sit, a nobis cognoscitur notionibus tum affirmantibus, tum negantibus, tum iis, quae secundum excessum appellantur.* Indoles autem huius cognitionis non talis est, ut affirmatio, negatio et notio eminentiae una ab altera seorsim consistant,

1) Cap. II. de revelatione 1.

2) Can. de revel. 1.

3) Jungmann l. c. pg. 25 sqq. — Pesch l. c. pg. 46. sqq.



sed ut una alteram implicitam habeat et ex omnibus una compleatur Dei notitia.

*Affirmamus* de Deo omnes perfectiones et quidem perfectiones simplices, quae in suo conceptu nullam imperfectionem exhibent, formaliter, sc. secundum propriam rationem; perfectiones vero mixtas, quae imperfectionem in suo conceptu includunt, eminenter, sc. quatenus pollet perfectionibus nobilioris ordinis, quibus idem praestat et modo excellentiori. Verumtamen etiam perfectiones simplices insunt in Deo formaliter quoad rem significatam, non autem sunt in ipso eo modo, quo a nobis concipiuntur, sed longe eminentius. Hunc vero modum eminentiae aliter nec concipere, nec significare possumus, quam vel negatione modi, secundum quem nos illam perfectionem apprehendimus, vel concipiendo confuse supereminentem perfectionem, cui analogia quadam finita perfectio in creaturis respondet

Quod spectat ad cognitionem Dei per notiones *negativas*, triplici negatione relate ad Deum uti solemus. Negamus de Deo omnem imperfectionem, negamus dein perfectiones mixtas, immo negamus in Deo esse ipsas perfectiones simplices secundum eum modum, quo nos distincte eas intelligere possumus. Sed omnes istae negationes includunt verissimas perfectionum affirmationes; immo, dum ipsas perfectiones simplices non eo modo, quo distincte eas concipimus, in Deo esse statuimus, supereminentem perfectionem, quam utique nonnisi confuse intelligimus, ei vindicamus.

Affirmatio haec atque negatio maxime iunguntur in illis notionibus, quae designantur nominibus *supereminentibus* vel per excessum, quibus significatur, in Deo vere esse illam perfectionem, et quidem non secundum illum limitatum modum, qui unice a nobis concipi potest, sed modo plane eminenti, quem nobis repraesentare non possumus.

Hoc modo ad veram licet imperfectam Dei cognitionem pervenire possumus. Imperfecta est cognitio, quia Deum, ut in se est, non cognoscimus, nec proinde conceptu proprio



infinitam eius perfectionem concipere possumus; sed vera est cognitio, quia perfectiones multiples in Deo vere et recte affirmamus.

§. 2.

***De essentia Dei eiusque attributis.***

Cognito modo, quo ad cognitionem Dei pervenimus, iam pauca de *essentia Dei deque eius proprietatibus* sive attributis perpendamus.

Est Deus *ens a se* ipsumque Esse subsistens, plenitudo essendi atque fons et origo omnium perfectionum essendi. <sup>1)</sup>

Ast cavendum, ne falso intelligatur, Deum esse a se, prout nuperrime accidit theologo Schell, ac si Deus ita esset a se, ut esset causa sui efficiens, quod sane absurdum est. „Nam“, ut merito dicit Angelicus Doctor, <sup>2)</sup> „prius secundum intellectum est causam esse quam effectum. Si ergo aliquid sibi ipsi esset causa essendi, intelligeretur esse, antequam haberet esse, quod est impossibile.“ Est ergo Deus *ens a se, quia non ab aliqua causa pendet, sed in seipso habet rationem existentiae*, incausatus ipse, causa tamen prima omnium, quae sunt extra ipsum, quia non sunt nisi per ipsum, ipse autem est super omnia ineffabiliter excelsus.

Cum autem Deus sit ipsum Esse subsistens, *omni caret compositione estque simplex omnino substantia*. Non enim esset prima causa incausata, si esset compositus. Nihilominus varia in Deo concipiuntur attributa, cum unico et adaequato conceptu infinitam et unitam Dei perfectionem exprimere nequaquam possumus. Non ergo Dei attributa realiter distinguuntur ab essentia, sed distinctione tantum, quae appellatur virtualis, nimirum distinctione, quae fundatur in infinita perfectione Dei atque in finita vi creati intellectus. Quare quod unum et simplex est in Deo, multiplicibus aequivalet, immo supereminet perfectionibus creaturarum, necnon nonnisi multiplicibus conceptibus quadamtenus a creaturis apprehendi et exprimi potest.

<sup>1)</sup> S. Thom. S. th. qu. 4. n. 2. ad. 3.

<sup>2)</sup> c. gent. l. 22.



Inde concilium Vaticanum docet: „*Sancta catholica apostolica romana ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una, singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.*“ <sup>1)</sup>

§. 3.

**De pantheismo.**

Veritates christianae de Dei essentia nunc probatae summi momenti sunt ad demonstrandam *falsitatem, immo absurditatem pantheismi.*

Pantheismus, ut nomen indicat, est doctrina, quae docet, omnia esse Deum et Deum esse omnia ita, ut unica sit Dei rerumque mundanarum omnium substantia. *Fundamentum huius erroris est in eo, quod Ens infinitum ab aeterno existens non distinguant ab illo esse, quod logice rebus commune est;* quando videlicet res sensibus obiiciuntur, intellectus abstractione directa eas concipit sub notionibus universalibus, quarum universalissima et prima est notio entis. Qua posita confusione, Esse divinum et esse rerum creatarum tamquam unum quid consideratur, atque humana mens, dum super tale fundamentum theologiam et philosophiam construit, ad deliramenta absurdissima veluti sponte dilabitur.

*Ast falsitas huius confusionis patet; nam multiplex est discrimen inter notionem entis universalis et notionem entis divini.* Nam notio illa entis, sub qua mens nostra omnia concipit, abstractissima est et constat unica nota in oppositione ad non ens; ens vero illud, quod Deus est, in ipsa sua notione entis est infinita plenitudo perfectionis et realitatis.

<sup>1)</sup> Vatic. de Deo cap. 1.



Deus dicitur ens simpliciter, quia nihil habet imperfectionis seu non — entis : sed ens commune dicitur ens simpliciter, quia ab omni determinata perfectione praescindit.

Ergo hoc fundamentale dogma pantheismi est absurdum. Ideo *Vaticanum* iure varias pantheismi formas reiecit dicendo : „*Si quis dixerit, res finitas tum corporeas, tum spirituales, aut saltem spirituales a divina substantia emanasse; aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique, Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam, anathema sit.*“ <sup>1)</sup>

Praeterea *pantheismum* reiicere debemus, quia *contradicit rationi*, cum statuatur unam substantiam, dum multae diversae existunt; cum affirmet, Deum esse immutabilem, infinitum, perfectissimum, mundum vero mutabilem, finitum, imperfectum, ergo eandem substantiam esse immutabilem et mutabilem, infinitam et finitam, perfectam et imperfectam.

Insuper *pantheismo negatur Deus; negatur libertas* humana et *imputabilitas*, cum secundum pantheistas omnes eventus et actus, etiam actus humani, non nisi illius divinae substantiae sint modificationes, quae ex intrinseca quadam necessitate procedunt; dein *pantheismo evertitur omnis religio et pessumdatur omnis moralitas*.

Propterea dolendum est, in *nostra literatura saepius vestigia huius absurdi pantheismi occurrere*.

## Cap. III.

### De Deo creatore.

Stabilita veritate christiana de Dei existentia et essentia, proferantur veritates *de origine mundi et humani generis*, in quantum naturali rationis lumine inveniri et demonstrari possunt. Nam plures fideles, imprimis ad classem intelligentem atque excultam pertinentes, errant doctrinasque materialismum sapientes circumferunt.

<sup>1)</sup> Vat. De Deo can. 4.



## §. 1.

***De origine mundi.***<sup>1)</sup>

Facile intelligitur, mundum *non potuisse oriri casu fortuito*, quia casus nihil explicat et non est nisi ignorantiae receptaculum, et quia tali assertioni repugnat principium causalitatis, quod vim habet universalem.

*Neque sui ipsius causa potuit esse mundus*, sive is fuisse dicatur per seriem causarum infinitam, sive per evolutionem quandam materialem et logicam. Nam series materialis repugnat, evolutio vero activa qualiscumque ducit ad materialismum vel pantheismum, ergo ad negationem Dei.

Sed, prouti veritate christiana affirmatur, mundus effectus est ab ente quodam, quod ab ipso mundo distinguitur, quodque intelligentia et voluntate est praeditum.

Nam omne corpus materiale est *ens contingens*, sc. ex essentia sua non determinatum, ut potius sit, quam non sit; [idem dicendum de collectione omnium corporum: ast determinari debuit, cum nonnisi determinatum actu existat; ergo determinatum fuit ab ente, quod non continetur neque corpore, neque etiam collectione corporum.

Id dicendum *de motu*; nam corpus, se ipsum a quiete ad motum compellere non potest, neque ab aeterno poterat esse in motu: ergo compelli debuit ab ente extra mundum posito.

Tale ens requiritur quoque ab *unitate et ordine universi*; nam ista unitas et ordo corporum causari debuit per aliquem unientem et ordinantem.

Ulterius de hoc ente affirmare debemus, illud esse ens intelligens et sui conscium, quod ostenditur *ordine teleologico* huius mundi tum interno, tum externo, qui absolute excludit opinionem, mundum esse effectum cuiusdam volitionis caecae, prouti voluit Hartmann.

Denique mundi existentia requirit *auctorem praeditum voluntate*, quia definitus iste et determinatus gradus per-

1) Pesch, Inst. phil. naturalis t. II. pg. 182. sqq.



fectionis explicari alio modo non potest, nisi voluntate auctoris, quae revera ad talem, non ad alium mundum sese determinavit.

Inde patet veritas christiana affirmans, mundum a Deo ex nihilo productum fuisse. Nam mundus ex nulla parte est ens a se, ergo secundum totalitatem suam effectus. Auctor vero non potuit esse substantia materialis, quae non agit nisi in materiam praeiacentem; ergo spiritus est, qui mundum fecit. Sed spiritus ex sua ipsius substantia mundum efficere non potuit: ergo necessario affirmandum est, quod mundus ex nihilo factus i. e. creatus sit.

*Creatio mundi est veritas naturalis*; et omnis philosophia, quae admittit Dei existentiam, debet admittere creationem omnium rerum ex nihilo. Sed quia conceptus creationis in se valde est difficilis et ab omni productione, quam experientia novimus, valde diversus, philosophi gentiles aut omnino ausi non sunt hanc conclusionem deducere, aut saltem conceptum creationis non expoliaverunt.

## §. 2.

### *De mundi conformatione.*

De mundi conformatione multum investigatur. Dicendum, quod sola rationis principia certum aliquem ordinem modumque certum, quo mundi artifex mundum efficere debuerit, docere nos non possunt. Multis enim id modis facere potuit, in quibus singulis specialis quaedam divinae sapientiae et potentiae manifestatio appareret.

Quibus positis dicendum, theoriam de efformatione mundi, quae a Kant et Laplace nomen ducit, acceptari posse. Nam non sine rationibus affirmatur, mundi conformationem post creatam a Deo et ordinatam materiam, ipsis rebus corporeis fuisse commissam, ita, ut ordo mundi etiam mechanicam explicationem aliquam admittat.<sup>1)</sup>

Nam non repugnat dicere, res elementares, quas Deus in prima rerum creatione effecit, viribus a natura sibi inditis

<sup>1)</sup> Pesch, phil. nat. t. II. n. 541 sqq.



active cooperari potuisse ad mundi eformationem, dummodo ponatur, Deum ad hoc primitus iis dedidisse convenientem motum localem, convenientem distributionem in spatio, convenientesque dispositiones ceteras.

Experientia enim docente corpora simplicia sunt causae efficientes corporum mixtorum, nec non utraque influere in generationem plantarum et animantium; quum igitur corpora elementaria nunc non alias habeant vires, quam habuerunt in prima sua productione, etiam tum idonea fuerunt, ut in productionem rerum perfectiorum active se influxisse putentur.

*Nullo modo autem affirmamus, conformationem ordinis, qui in mundo est, primario et ultimam ex motibus mechanicis posse explicari.* Etsi cooperatio rebus corporeis tribuitur, tamen, ut ait Newton, elegantissima haecce solis, planetarum et cometarum compages nonnisi consilio et dominio entis intelligentis et potentis oriri potuit.

Quibus admissis *facile etiam admittitur terrae formationem ipsis rerum corporearum viribus relictam maximis temporum spatiis esse perfectam.*<sup>1)</sup> Nam doctores communiter docent, massam terrae in statu aliquo liquido fuisse, nec nisi per innumerabiles mutationes, vicissitudines, perturbationes ad hanc perfectionem pervenisse. Absque haesitatione acceptamus, quodcumque rerum periti hac in re demonstrare possunt.

### §. 3.

#### ***De ortu rerum organicarum.***

Geologia et palaeontologia docent, *organismos multo tempore post res anorganicas ortos esse* et quidem perfectiores non paucos post imperfectiores longo etiam temporum interposito intervallo, attamen anatomia teste ita, ut in eodem genere viventium idem fere typus deprehendatur.

*Unde res organicae ortum habent?* An a corporibus anorganicis? Impossibile! Nam principium vitale, quod rei

<sup>1)</sup> Pesch, ib. n. 564.



organicae cuilibet inest, ab omnibus, quae in materia anorganica reperiuntur, essentialiter differt. Inde perspicuum est, organismum a rebus anorganicis ortum ducere non potuisse, nam id, quod est imperfectum, ordinisque essentialiter inferioris, nullo modo causa esse potest principii illius, quod perfectius multoque altioris est ordinis.

Insuper experientia edocemur, omnia animalia, plantasque omnes non procreari nisi ab animalibus plantisque eiusdem speciei. Neque aliter res se habet in infusoriis et entozois, quae non nisi a suae speciei parentibus ortum ducere a viris doctissimis experimentis multis demonstratum est. Quum autem natura certis mediis utatur ad fines certos consequendos, dicendum est, sine semine naturaliter oriri non posse, quae naturaliter generantur ex semine.

Nihilominus *ratum fixumque esse debet, vires materiales ad progignenda prima viventia cooperatas esse dispositive et instrumentaliter*. Cooperatae sunt *dispositive*, in quantum illis viribus inductae sunt conditiones, quae requiruntur, ut viventia possint esse, et inductae quoque sunt in materiam dispositiones praeviae, quibus remote saltem apta efficeretur, quae organisationem vitamque reciperet. Quae omnia pertinent ad ordinem eorum effectuum, ad quos producendos vires materiae elementaris, posita sapientiarum primitus a Deo indita dispositione, ex se ipsis sufficientes sunt. Cooperatae sunt *instrumentaliter*; nam etiam hodie vires materiae elementaris, subditae virtuti generantis, ut instrumenta in viventium generatione inserviunt. Unde rerum naturalium indagatores recte in id incumbunt, ut inquirant, quibus positis conditionibus naturalibus viventia originem habere poterint.

Quibus omnibus consideratis *consequens est, ut Deum ipsum organismos primos produxisse dicamus, non quidem creatione, sed formarum educatione*, idque secundum ideas in mente divina existentes.

*Quid dicendum de diversitate rerum organicarum?* Ad solvendam hanc quaestionem duplex penes peritos invenitur theoria. Altera antiquior affirmat diversitatem illam,



qua varii viventium ordines inter se separantur, *in ipsa fundari essentia*, itaque unamquamque speciem seorsim ortam esse neque alio modo oriri potuisse, licet non sine ordine quodam, ita ut variae perfectiones cum quadam continuitate viventibus distributae conspicerentur. Ultimis autem temporibus *theoria descendendae, evolutionis sive transformismi* multis naturae scrutatoribus magnopere arrisit, cuius auctores tenent, species hodiernas ex paucioribus typis primitivis per modum progressivae evolutionis derivatas fuisse. Quae sententia verior sit, non est nostrum indagare, sed scrutatores naturae atque philosophi videant. Modo ea, quae de divino in rerum formatione influxu diximus, in dubium non vertantur, variae theoriae a variis disputatoribus tamquam plus minusve probabiles defendi ac propugnari salva fide poterunt.

*Ast cavendum, ne ista libertas explicandi varias rerum organicarum species ad hominem usque protendatur, quippe qui non sine immani errore quoad ortum et obitum brutis animalibus aequiperaretur.*

#### §. 4.

### **De origine hominis.**

In corpore humano est principium vitae, quod anima vocatur. Scitu necessarium est, *unde originem ducat anima, unde corpus.*

#### 1. Anima hominis.<sup>1)</sup>

*Naturali rationis lumine dicere possumus, animam esse substantiam, licet incompletam, in se subsistentem, id est spiritualem et intrinsece a corpore independentem.* Talem esse animae naturam ex eiusdem potentis et operationibus deprehenditur. Non enim possumus cognoscere naturas rerum, nisi ex earum potentiis et operationibus. Nam ens quodlibet eo modo, quo est, operatur, et quo operatur modo, est. Modum essendi sequitur modus operandi, et

<sup>1)</sup> Pesch, Inst. psych. I. pag. 328 sqq.



ex modo operandi elucet modus essendi. Si igitur operationes omnes, quae sunt ex anima humana tamquam ex principio, essent in coniuncto tamquam in subiecto, etiam anima esset putanda habere subsistentiam suam non in se, sed tantum in coniuncto, cuius pars est; solum enim coniunctum esset subiectum per se subsistens. Si vero aliquae saltem ex istis operationibus sunt intrinsecus a corpore independentes, iam anima ipsa putanda est esse substantia in se subsistens et a materia independens. Quod enim non subsistit in se, est a materia intrinsecus dependens, id plane nullam operationem a materia intrinsecus independentem habere potest. Atqui anima humana revera habet aliquas operationes, quae a corpore intrinsecus sunt independentes. Id valet de operationibus ex parte voluntatis et ex parte intellectus. Ergo anima humana in aliquibus saltem operationibus a corpore intrinsece independens, independens est a corpore etiam in sua subsistentia, ergo anima humana est spiritualis. Et dici debet substantia non quidem completa, sed incompleta, quia natura sua est destinata ad informandum corpus et quia aliquarum operationum anima humana est principium incompletum; est tamen substantia perfecta, quia habet operationes, quae a corpore intrinsecus non pendent, et hinc habet etiam esse a corpore intrinsecus non pendens, neque ad existendum indiget corpore.

Insuper dicendum est, *animam humanam esse omnino simplicem*, nimirum eam carere materia, carere partibus, esse totam in toto corpore et totam in qualibet eiusdem parte. Quod patet potissimum *ex reflexione perfecta*, quae in conscientia manifestatur: quidquid enim partes habet compositumque est ex materia, perfecte reflecti atque in se redire nullatenus potest.

In homine invenitur *triplex vita, nempe vegetativa, sensitiva et intellectiva; ast non tres vel duae insunt homini animae, sed una anima eaque rationalis, quae vitae intellectivae, sensitivae et vegetativae est principium*. Unam esse animam intelligitur ex unitate conscientiae, quae te-



statur eundem esse, qui cogitat, et qui sentit curatque indigentias vitae vegetativae ut suae; ex dependentia inter vitam triplicem in homine tam quoad evolutionem, quam quoad operationem, quae dependentia non potest intelligi, nisi una ponatur anima in homine, quae ex se est et spiritualis et ad informandum corpus destinata, propterea potentis triplicis ordinis instructa ita, ut potentiae inferiores sint quasi causae materiales superiorum; id intelligitur etiam ex lucta intestina inter rationem et concupiscentiam, quam experimur in una anima, quae ad diversa bona spiritualia et materialia trahitur.

Ergo unum est in homine triplicis vitae principium substantiale; *inde consequitur intima unio corpus inter et animam, ita ut ex hac unione resultet unitas naturae et personae. Homo est una natura.* Nam natura est principium activitatis ita, ut quorum est communis activitas, commune quoque est principium; sed activitas vegetativa et sensitiva in homine est communis animae et corporis; insuper vita spiritualis et sensitiva in homine se invicem complent. Quam ob rem corpus et anima in homine constituunt unam naturam; quia vero in homine haec natura est subsistens, rationalis et sui iuris, sequitur, illam esse personam, cum personae nomine nihil aliud significetur, quam natura rationalis integra, quatenus haec est distincte subsistens, sui iuris et independens.

*At qua ratione efficitur haec unitas ex anima et corpore?* Dicendum, quod anima rationalis sit vere, per se, essentialiter et immediate humani corporis *forma*. Hoc patet ex unitate naturae, ex intima coniunctione et reciproca dependentia omnium operationum in homine, quae omnes homini adscribuntur, non vero soli animae. Nam animae spiritualitas et simplicitas non obstat, quominus anima rationalis forma corporis esse possit. Revera non quilibet spiritus corpus informare valet, at non repugnat, ne spiritus aliquis propter naturalem suam indigentiam possideat in sua substantia indolem, qua corpus informare possit.

Quibus praesuppositis dirimi poterit *quaestio de origine animae*. Naturali rationis lumine intelligitur, animam



primam aliunde ortum habere non potuisse, nisi *a Deo per immediatam creationem*. Illud enim creatione oritur, quod oriri debet ex nihilo sui et subiecti. Sed anima humana, quam diximus esse substantiam spiritualem, orta est ex nihilo sui, nam priori tempore non erat; deinde orta est quoque ex nihilo subiecti, est enim in se subsistens, unde nec in esse nec in fieri a materia quidquam, quo esset vel fieret, accipere potuit: ergo produci non potuit, nisi per creationem. Solus autem Deus potest creare, quia solius causae primae est agere nullo praesupposito subiecto, quum omnis causa secunda praesupponat aliquid, quod est, ac proinde agat transmutando. Quapropter, quum anima non potuerit produci per transmutationem materiae, neque potuit produci nisi immediate a Deo.

*Ast non solum de prima anima, sed de qualibet anima idem affirmandum est.* Nam unde secus originem habere posset? Falsus est traducianismus materialis; nam substantia materialis quibuscumque viribus organicis instructa producere non potest animam spiritualem, quae neque in esse, neque in fieri ab ulla dispositione corporea intrinsecus pendet. Falsus et traducianismus spiritualis; nam ex anima parentum, quae est entitative simplex, nihil traduci, decerpi potest. Falsus est generatianismus; nam fieri non potest, ut virtus activa, quae est in materia, producat effectum immaterialem; anima autem hominis transcendit materiam, ergo a nulla virtute organica, qualis est generatio, produci potest. Falsum quoque est sistema conversionis, qua ponitur animam rationalem effici ex transmutata anima organica. Nam conversio propria fieri non potest; haec enim requirit commune subiectum, in quo una forma desinat, altera incipiat, anima autem ex subiecto et forma composita non est; neque anima sensitiva ulla ratione transmutari potest in spiritualem, quum anima spiritualis omnino aliam et superiorem habeat essentiam. Ergo affirmandum est, animam cuiusvis hominis creari immediate a Deo, atque ab ipso infundi corpori, ut sit eius forma substantialis.



## 2. *Corpus hominis.*

Quid de origine corporis humani? Corpora humana in praesenti propagari per generationem nemo ignorat, *at unde primum corpus?* Non desunt, sicut iam inuimus, qui descendantiam et evolutionem rerum organicarum ad hominem usque protrahunt. Iam age, si talia asserere quoad animam rationalem et spiritualem vix non haereticum sit, neque quoad corpus huiusmodi opinio tuto poterit proponi. Praeterquam enim, quod homo sapiens exortem plane in universo sibi vindicat conditionem, utpote anima rationali et spirituali supra omnes reliquas visibiles creaturas eminens, adeoque rationi parum consone eius origo in germine brutorum animalium quaereretur, et reapse vane incassum frustra a quibusdam quaerebatur: talia de origine primi hominis reuelatio refert, ut *communis sit sententia theologorum, etiam corpus hominis fuisse a Deo immediate creatum.*

## 3. *Quot homines ab initio?*

*Naturali rationis lumine hanc quaestionem dirimere non possumus.* Est tamen sane possibile, ut totum genus humanum ab uno originem ducat, immo existunt documenta, quibus talis origo verosimilis redditur.

Huic assertioni confirmandae inserviunt clarissimorum virorum *studia ethnografica*, quibus communia populorum vincula naturalia patefiunt, et historicae transmigrationum notitiae, quibus ex uno fonte gentes maxime varias esse ostenditur. Conferunt *studia physiologica*, quibus novimus, in tanta differentia hominum nullam requiri notam, quae flagitet discrimina specifica in humano genere, verum diversitates omnes externis causis commode explicari, adeoque omnes homines facile ad unam stirpem evocari. Confirmantur haec studiis *philologicis*, quibus docemur, linguas ita esse affines, ut intelligatur, ex uno fonte eas fluxisse. Conferunt his probandis vetustissimae populorum *anthropogoniae et traditiones*, quae quamvis fabulis defiguratae expressae tamen apparent ad anthropogoniam mosaicam. Conferunt postremo



omnia *archaeologica* populorum *studia*, ex quibus peritissimi quique communem originem hominum ostendunt.

*Quibus omnibus talis sacri eloquii auctoritas accedit, ut certum et fidei proximum sit, universum genus humanum ab uno protoparente Adam ortum habuisse.*

§. 5.

**Conclusio.**

A Deo qua creatore ergo originem ducit mundus in genere, dein in mundo varii organismi eorumque diversitas specifica, postremo homo. Quibus veritatibus positis patet falsitas pantheismi, materialismi, falsitas theoriae absolutae descendendae aut transformationis. Insuper *concilium Vaticanum* nostras assertiones veras esse demonstrat; dicit enim: „*Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotente virtute . . . liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem . . . ac dein humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.*“<sup>1)</sup> Ab eodem concilio deinde statuitur canon sequens: „*Si quis non confiteatur, mundum resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas . . . anathema sit.*“<sup>2)</sup>

Cap. IV.

De Dei dominio.<sup>3)</sup>

Doctrina de Dei dominio immediate ex doctrina de Deo creatore sequitur, eaque liberalismus funditus evertitur. Competit vero *Deo absolutum dominium proprietatis et iurisdictionis in omnem creaturam*, in quo dominio simul *ius ad cultum religiosum* sibi exhibendum continetur.

<sup>1)</sup> Cap. I. de Deo rerum omnium creatore n. 2.

<sup>2)</sup> Canon I. De Deo creatore n. 5.

<sup>3)</sup> Suarez de perf. div. lib. X. Hondheim, Theol. nat. cap. XV. art. 7.



## §. 1.

***De dominio proprietatis.***

*Dominium proprietatis perfectum* est facultas stabilis disponendi de rei utilitate et substantiā et quidem pro suo arbitrato, ita ut possit illam consumere, vastare, conservare, donare sine cuiusquam iniuria. Iam vero Deus dominium habet perfectissimum et absolutum in omnia, quae sunt. Habet autem hoc dominium non occupatione, quasi res fuerint antea adespotae, non donatione, non successione, non emptione, sed longe aliis et sublimioribus titulis.

*1. Titulus ratione creationis.*

Primus est *titulus creationis*; nam Deus omnia ex nihilo solus creavit et totum esse rerum sua omnipotentia et sapientia finxit. Hic titulus est praestantissimus et summum ius tribuit, eoquod Deo competit ratione dependentiae et subiectionis essentialis. Recte dicit apostolus: „Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam“? <sup>1)</sup> Ergo sicut figulus de vase disponere potest ad libitum, ita Deus de homine, deque eius sorte et vita, quin de iniuria possit homo conqueri aut rationem postulare. Immo ius Dei in creaturas est longe maius, quam ius figuli in vasa fictilia, nam creatura a solo Deo quoad omnia pendet.

*2. Titulus ratione conservationis.*

Secundus *titulus dominii Dei est conservatio*. Non est enim satis, creaturam semel fecisse, sed opus est assidua conservatione, ut in esse permaneat. Hinc rursum oritur summum ius Deo in creaturam. Quod enim potest ius maius concipi, quam posse omnia in nihilum reducere sola cessatione operationis et beneficentiae? Nam, quid est, quod Deum cogat hunc beneficum et substantificum influxum

---

<sup>1)</sup> Rom. 9, 30. sqq.



continuare? Cui debitor est, ut illum semper praestet? Itaque omni momento potest illum sistere et cohibere, quo facto omnis creatura in nihilum redigeretur.

### 3. *Titulus ratione finis.*

Tertius *titulus* absoluti dominii Dei est *ratio finis* omnium creaturarum. Nam omnis creatura ex natura sua ordinatur ad gloriam Dei tamquam ad finem suum ultimum. Inde sequitur ius dominii maximum. Nam etsi fingeremus, creaturam non pendere a Deo tamquam a causa efficiente aut conservante, tamen si ponamus, ipsum esse ultimum finem illius, summam in illam potestatem et auctoritatem habebit. Auctoritas enim finis quodammodo maior est, quam auctoritas causae effectricis, cum haec a fine ad operandum moveatur, et omnem rationem operandi, omnemque modum et mensuram operis a fine accipiat. Sicut homo uti potest rebus inferioribus, quae ad suum commodum creatae sunt, pro suo arbitratu, ut pecunia, frugibus terrae, pecoribus, quia eorum finis est, ita Deus potest uti universa creatura pro suo arbitrio, nec quisquam potest queri de iniuria, cum omnia sint ipsius gratia.

### 4. *Nonnulla consecutaria.*

Inde sequitur, *nos esse totos in Dei dominio* sc. quoad substantiam et quoad operationes. Nam totum bonum nostrum bono infinito subiicitur, totum esse nostrum creationi et conservationi debetur, tota substantia nostra in Deum ut finem ultimum dirigitur.

Insuper ita Dei debitores sumus, ut *ne minima ex parte debito satisfacere possimus*. Quomodo enim bonum infinitum satis laudare possumus? Quid pro beneficio creationis digni Deo rependemus? Si aulici, accepta pensiuncula semper se principi obstrictos sentiunt seque illius servos ubique profitentur, quid Deo debetur, qui omnia, quae sumus et quae habemus, nobis donavit? Neque beneficio conservationis minus debitores facti sumus, quam creationis.



Denique numquam ad finem nostrum ultimum, qui infinitae est dignitatis, satis laborare possumus.

Unde patet, *quantum malum sit peccatum, quum ius Dei sanctissimum laedat.*

§. 2.

***De dominio iurisdictionis.***

Deo competit *dominium absolutum iurisdictionis* in omnem naturam, quae extra Deum existit. Dominium iurisdictionis est potestas gubernandi subditos ad finem societatis. Hoc dominium derivatur ex iisdem titulis, ex quibus derivatur dominium proprietatis; nam rationes allatae Deum sub omni respectu nobis absolute dominari demonstrant.

His positis affirmamus *hoc dominium eminentissime esse in Deo*. Nam primo *Deus solus hoc dominium habet a se*, neque suffragio subditorum, aut iure belli, aut haereditate, aut alia via minus perfecta illud accepit. Qui vero praeter Deum domini appellantur, a Deo, prouti esse, ita quoque dominium acceperunt. Propterea Deus nullum habet superiorem, nullum aequalem, ipse solus est supremus dominus.

Dein Deus hoc *dominium*, quemadmodum a se, ita *etiam ad se habet*; non enim, ut rex terrenus propter subditos, Deus est propter creaturam, sed creatura est propter Deum. Ipse Deus est finis et summum bonum societatis, quam creaturae sub Deo principe constituunt. Deus creatura non indiget, neque eius servitio perficitur; qua re reges terrenos longe antecellit, qui a subditis multum utilitatis percipiunt eorumque servitio indigent, ne regnum dissipetur.

Hoc *dominium est universalissimum*. Extenditur enim ad omnem creaturam rationalem, ad omnes reges et monarchas; neque quidquam ab eius iurisdictione eximi potest. Ideo recte dicitur: Rex regum, Dominus dominantium; immo ipse solus Rex, solus Altissimus, solus Dominus, ceteri omnes sunt subditi, servi, mancipia.



Deus insuper habet *amplissimam et illimitatam potestatem legiferam, prorsus independentem*. Habet quoque *supremam potestatem iudiciariam et executivam*; nam omnipotenti virtute, quae iudex decrevit, ad opus deducuntur, neque quidquam eius voluntati resistere potest.

Denique hoc Dei ius est *absolute supremum*, absolute sacrum et sanctum, absolute inviolabile, ab ipsoque omnis ordinis moralis inviolabilitas descendit; nam voluntate sua inviolabili recti ordinis custodiam exigit.

§. 3.

*De iure Dei ad cultum religiosum.*

Deus est absolutus Dominus noster; homo, sicut quaelibet creatura a Deo Creatore, Governatore et fine quoad totum suum esse dependet; inde sequitur *obligatio, quod homo hanc suam a Deo dependentiam agnoscat et sese Deo, supremo legislatori, libere subiiciat*. Immo Deus supremum ius habet, ut ab omni natura colatur, ut ipsi a nobis qua servis honor et reverentia exhibeatur. Actus, quibus Deum colimus, ad specialem virtutem religionis pertinent; nam religio est virtus inclinans hominem ad debitum cultum Deo praestandum. Religionis actus maxime proprius est adoratio latreutica sive testificatio agnitae excellentiae infinitae. Praeterea multi alii actus ad hanc virtutem pertinent, et quidem interni, uti: fides, spes, amor, gratitudo, timor, obedientia; sive externi, ut: oratio, sacrificium, votum.

Inde affirmamus, *religionem, et quidem veram, necessariam esse tum singulis hominibus, tum civili societati*. Propter varios et quidem funestos errores quoad religionem veritas christiana inculcetur.

*1. Vera religio non est nisi una.*

Id patet; nam *veritas non potest esse nisi una*; si enim de eadem re variae doctrinae contradictoriae proponuntur, tunc vera non potest esse nisi una, reliquae autem falsae, cum verum vero contradicere repugnet. Et revera,



ex diversis religionibus, quod aliae falsum arbitrantur atque Deo iniuriosum proscribunt, illud aliae verum reputant et tamquam honorificum postulant: ergo quomodo omnes verae esse possunt? Excepta una vera reliquae omnes falsae sunt!

Id *valet de cultu Deo exhibendo*. Cultus fundari debet in vera Dei cognitione; sed vera Dei cognitio non potest esse nisi una; unius enim rei non est nisi una vera cognitio, cum veritas sit adaequatio intellectus et rei. Ergo cultus Deo exhibendus non potest esse nisi unus.

Dein cum diversae religiones opposita doceant, si quae libet aequae bona, aequae vera, aequae Deo grata putanda esset, Deus errorem approbare dicendus foret, quod absolute repugnat, cum Deus, summa veritas, nullum errorem approbare possit.

Denique Deo omnium supremo Domino *ius competit intimandi, quonam cultu honorari velit. Si ergo constat, Deum aliquam religionem positive revelasse, haec sola erit religio ab omnibus tenenda.*

Inde clare cognoscitur *grave officium, veram religionem inquirendi et sequendi*; simulque patet, indifferentismum esse absurdum, atque pleno iure damnari potuisse sequentes eius assertiones: „Liberum cuique homini est, eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.“<sup>1)</sup> „Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt.“<sup>2)</sup>

## 2. *Vera religio necessaria est pro singulis.*

*Quicumque Deum Creatorem et finem agnoscit, agnoscere quoque debet religionis absolutam necessitatem.* Pulchre ait Leo XIII.: „Ex omnibus hominum officiis illud est sine dubitatione maximum et sanctissimum, quo pie religioseque Deum colere homines iubemur. Idque necessario ex eo consequitur, quod in Dei potestate perpetuo sumus, Dei

1) Syll. 15. — 2) Syll. 16.



numine providentiaque gubernamur, ab eo profecti ad eum reverti debemus.“<sup>1)</sup>

Religio homini est necessaria *ratione originis et omnimodae dependentiae a Deo*, quam homo agnoscere tenetur; dein *ratione finis*, qui est gloria Deo procuranda et beatitudo propria obtinenda, quod fieri non potest, nisi actibus a religione praescriptis.

Idem postulat *ordo moralis*, qui stare non potest absque regula quadam suprema et immutabili, iuxta quam operari pium et sanctum, contra autem agere vitiosum et culpabile est. Ast, sublata religione hominisque dependentia a Deo supremo legislatore, sola superest humana ratio suprema agendorum regula. „Reiecto autem“, ait Leo XIII.<sup>2)</sup> „ad humanam rationem ut solam et unam veri bonique arbitrio, proprium tollitur boni et mali discrimen; turpia ab honestis non re, sed opinione iudicioque singulorum differunt: quod libeat, idem licebit; constitutaque morum disciplina, cuius ad coercendos sedandosque motus animi turbidos nulla fere vis est, sponte fiet ad omnem vitae corruptelam aditus.“

Denique *sine religione nulla societas firma et tranquilla consistere potest*. Enimvero ratio civitatis exigit, ut civium mutua iura et officia serventur, ut subditi legitimae auctoritati debitam praestent obedientiam, atque auctoritas iusto moderamine subditos regat: quae omnia, religio nisi adsit, deficient necesse est.

Haud mirum, nullam dari gentem absque religione et religioso divini numinis cultu.

### 3. *Vera religio necessaria est pro societate civili.*

Ast, non tantummodo singuli, sed etiam *societas quae talis veram religionem profiteri tenetur*. Nam societas non secus, ac privatus homo, *Deum auctorem habet*, ergo non secus ac privatus homo Deo obsequium deferre tenetur. „Natura et ratio“, inquit Leo XIII. „quae iubet vel singulos sancte et religiose Deum colere, quod in eius potestate

<sup>1)</sup> Encycl. Libertas. — <sup>2)</sup> Encycl. Libertas.



sumus et quod ab eo profecti ad eundem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate coniuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli: neque enim minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innummerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua ad Deum officia negligere, . . . eodem modo civitates non possunt citra scelus gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque futuram abiicere, aut asciscere de pluribus generibus indifferenter, quod libeat, omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle.“ 1)

Dein civitas *temporale bonum civium ita procurare debet, ut eos ad bonorum maximum, felicitatem aeternam acquirendum simul adiuvet*. Sed hoc praecipue fit per religionem. „Civilem societatem“, inquit iterum Leo XIII. „communi utilitati natam in tuenda prosperitate reipublicae necesse est et sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono, quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes, quascunque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt.“ 2)

Inde summo iure deducimus, *civilem falsarum religionum tolerantiam*, etiamsi aliquando propter societatis pacem et tranquillitatem concedi possit, *esse tamen quid mali* et generaliter loquendo reiiciendam propter mala, quae exinde enasci solent, praesertim si eousque progrediatur, ut omnibus religionibus aequalem coram lege civili concedat potestatem. Recte igitur proscriptae sunt sequentes propositiones: „Laudabilius in quibusdam catholici nominis regionibus cautum est, ut omnibus illic immigrantibus licet

1) Encycl. Immortale Dei.

2) Encycl. Immortale Dei.

publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere.“ „Enimvero falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.“ 1)

## Titulus II.

### De revelatione.

Praeter cognitionem per naturale intellectus lumen de Deo, homine, mundo partam veritas christiana specialem Dei locutionem ad nos annuntiat, omnesque obligat tali locutioni fidem adhibere.

Quae doctrina christiana apud nos a multis impugnatur, revelatio supernaturalis utpote haud necessaria reiicitur, atque contra affirmatur, christianam religionem vel e variis religionibus orientalibus, vel e philosophia gentium originem duxisse. *Ideo veritas christiana de revelatione in genere et de revelatione christiana in specie proponatur oportet.*

### Cap. I.

#### De revelatione in genere.

Dicimus *revelationem supernaturalem esse necessariam, cognoscibilem et obligatoriam*, quae assertio ob oppositos errores saepe explicari atque inculcari debet.

#### §. 1.

#### *De necessitate revelationis.*

Ad vitam uti oportet ducendam absolute necessarium est, ut omnes homines, sive docti sive rudes, inde a prima aetate veritates de Deo, de creatione, de anima, de religione, de ultimo fine expedite, firma certitudine, nec ullo admixto

1) Syllab. 78, 79.



errore cognoscant. Absque tali cognitione vita esset intolerabilis; nam morti appropinquarem, sed tamen nescirem, saltem non cum certitudine, an sit Deus, an detur vita post mortem, quid agendum in casu aeternitatis.

Ast quilibet videt, ad praedictas veritates cognoscendas requiri arduum studium longo tempore continuandum. Cui studio maior pars hominum impar existit: alii tardioris sunt ingenii, alii rebus temporalibus dediti, alii in publicis officiis occupati. Unde maior pars hominum de veritatibus religionis pauca cognosceret, atque officia sua maximi momenti haud posset adimplere.

Neque philosophi adiumento esse possent. Nam philosophis deest certa scientia, antiqui enim et recentiores in multos errores impegerunt; ipsis deest consensus, inter ipsos enim magna viget opinionum contrarietas, ut impossibile sit scire, cui fides adhibenda esset; denique deest illis quoque sufficiens auctoritas ad homines edocendos et ad bonos mores perducendos.

Insuper doctrina morum sufficiente auctoritate et sanctione destituta esset; denique homines in dubio quoque essent de vero cultu Deo exhibendo.

*Rebus sic stantibus dicere debemus, adiutorium hominibus a Deo necessario praestandum esse. Non affirmamus necessitatem absolutam, sed solummodo moralem;* nam ratio quidem ex se ad veritates ordinis naturalis de Deo, de creatione, de animae spiritualitate, de Deo colendo, uti in Titulo I. vidimus, pervenire potest, at ob adiuncta, in quibus vivimus, vix unus aut alter ad talem cognitionem certam et indubiam revera perveniet; asseritur ergo impossibilitas moralis cognoscendae veritatis, perinde necessitas moralis adiutorii divini.

Si vero Deus in sua libertate et liberalitate hominem ad *finem supernaturalem* destinare dignatus sit, tunc neque de hoc fine, neque de mediis ad illum obtinendum homo ex sese quidquam scire posset, sed hoc in casu nonnisi a Deo instrui debet, atque *revelatio supernaturalis esset absolute necessaria.*



Ideo Concilium Vaticanum rite definivit: „Eadem sancta Mater Ecclesia tenet et docet, . . . placuisse eius (Dei) sapientiae et bonitati . . . supernaturali via seipsum ac internae voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: „Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio.““ Huic divinae revelationitribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi in se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant.“<sup>1)</sup>

§. 2.

***De cognoscibilitate revelationis.***

Cum veram religionem unicam esse oporteat, multaeque religiones sese revelatas exhibeant, *revelationem suam Deus necessario sigillis suis insignire debuit*, quibus eam omnes a falsis evidenter dignoscere possent. Quae notae nisi extarent, dicendum foret, vel omnes religiones esse Deo aequae gratas, posseque hominem quamlibet pro libitu amplecti, quod summae Sanctitati repugnat, vel Deum humano generi non satis providisse, quippe qui causa foret, cur homo veram agnoscere religionem aeternamque salutem consequi non posset.

Ergo *existere debent notae, quibus vera religio facile dignoscatur et quidem non solummodo ab hominibus excultis, sed etiam a rudibus.* Et tales sunt imprimis *miracula et prophetiae.*

Verum quidem est, *non deesse et alias notas tum intrinsecas, tum extrinsecas*, quibus falsitas alicuius religionis vel veritas probari potest; sed sunt nimis subtiles, neque

<sup>1)</sup> Vat. cap. II. de revelatione 1, 2.



praestant nisi argumentum negativum, vel ad summum argumentum positivum probabile.

Si enim alicui religioni deest sanctitas, convenientia cum recta ratione et convenientia cum seipsa, tunc evidenter falsa dici debet. Si autem religio quaedam fulgeat sublimitate, si ab omni errore, ab omni contradictione sit immunis, tunc quidem iudicare licebit, eam probabiliter Deum, non vero hominem habere auctorem. Idem dicendum de praecone praedito probitate, sinceritate et sanctitate; si talis doctrinam ut a Deo provenientes annuntiat, valde probabilis est eius assertio. Ast haec argumenta multitudini sunt impervia, utpote in se difficilia, atque etiam eruditus non peremptoria, utpote erroribus plus minusve exposita et nimis subiectiva.

Notae autem, quibus *evidenter et decretorie religionis divinitas probatur, sunt notae extrinsecae, ex factis supernaturalibus, speciatim ex miraculis et prophetiis* desumptae. Unde Vaticanum definivit: „Ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta sc. divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accomodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt.“<sup>1)</sup>

Qui Deum *personalem, Creatorem coeli et terrae, admittit, miracula quoque sine ullo negotio admittet*. Insuper invanum affirmatur, quod ad certam cognitionem miraculorum omnes naturae vires compertas habere deberemus. Nam saltem aliquando certo constare potest, factum aliquod sensibile Deum habere auctorem; nam licet non omnes naturae vires nobis sint cognitae, sufficit primo, ut aliquot causarum vires atque leges notas habeamus, et secundo, ut limites cognoscamus, ultra quos natura agere non possit.

<sup>1)</sup> Vat. De fide cap. III. n. 2.



Sic pro comperto habemus, ignem semper urere, mortuos non resurgere, organum confractum lente, non autem subito in pristinum restitui statum; item scimus, medicinam, quantoscumque factura sit progressus, numquam eo deventuram, ut medicus mortuum iam foetentem ad vitam revocaret, vel solo nutu voluntatis confractum os consolidaret. Quantacumque ars physica inveniet stupenda, nunquam aquae fontem ex arida petra contactu baculi aperiet, vel iussu vocis annonam multiplicabit.

Ergo *miracula sunt et cognosci possunt. Id dicendum de prophetia*, quae est praedictio certa eventus futuri, qui in causis naturalibus praevideri non potuit. Tales eventus futuros, qui dicuntur future contingentes, non potest cognoscere nisi Deus, cuius aeternitati omnia sunt praesentia. Intellectus autem creatus eos cognoscere non potest, neque in se ipsis, quia nondum existunt, neque in suis causis, quia cum ipsis non habent necessariam connexionem.

Si ergo in *favorem alicuius doctrinae miracula eduntur vel prophetiae pronuntiantur, absolute certum est, illam doctrinam esse divinam et veram*, cum metaphysice repugnet, Deum subsistentem veritatem, quod falsum est atque erroneum, illud ut verum approbare.

Quae vero ad explodendum argumentum ex miraculis et prophetiis deductum obiiciuntur, velut contra miracula ex visionibus, exstasibus, magnetismo, spiritismo, vel contra prophetias ex sic dicta clara visione, vel actione in distans, vel a spatii quarta dimensione proferuntur, nullius valoris sunt, neque hypothesibus possunt annummerari.<sup>1)</sup>

### §. 3.

#### *De obligatione revelationis.*

Ex absoluto dominio Dei sequitur hominem natura sua Deo esse subiectum atque ab illo undequaque dependentem, ergo etiam vi naturae ad veram religionem et cultum divinum obligatum. Cum vero moraliter impossibile sit, ut

<sup>1)</sup> Gutberlet Apol. II. Absch. 1. §. 12. 13.



homo omnes veritates de Deo deque sua relatione ad illum certe et absque timore erroris cognoscat, adiutorium ab ipso Deo proveniens ipsi necessarium est. Deus vero, si tale adiutorium hominibus praestare velit, talibus illud notis communire tenetur, ut quilibet homo absque difficultate divinam eius originem cognoscere valeat.

Iam age singulae revera religiones divinam suam originem contendunt. Inde sequitur, hominem quemlibet, qui in tranquilla religionis revelatae possessione nondum requiescit, teneri ad examen, quatenus religio sit revelata et per consequens agnoscenda qua talis, sine qua salus aeterna obtineri non possit. Nam secus iniuriam irrogaret Deo semet revelanti simulque ageret contra rationem, quae dictat nos ad religionem et quidem veram acceptandam obligatos esse. „Quum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemus.“<sup>1)</sup>

De veritate autem revelationis certo nobis constare potest. Nam sicut de veritate facti naturalis, cuius testes non fuimus, tum de integritate narrationis, qua factum ad nos fuit transmissum, per criteria nobis certo constare potest, quippe quum alioquin tota veritas historiae pessumdaretur, ita etiam tum revelationis existentiam atque veritatem, tum incorruptam ipsius usque ad nos transmissionem per criteria quaedam, quae sunt *motiva credibilitatis*, evidenter cognoscere possumus.

Cognita vero evidenter per motiva credibilitatis unius religionis veritate, aliae a priori ut falsae reiici debent.

Qui autem *veram religionem iam possident, nequaquam licet examinare illis, an fides vera sit, cum talis dubitatio fidem destruat.* „Si quis dixerit“, inquit Vaticanum, „parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam causam habere possint, fidem, quam sub ecclesiae

<sup>1)</sup> Vat. cp. III. De fide, n. 1.



magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, anathema sit.<sup>1)</sup>

Possunt autem fideles ex amore fidei credibilitatis motiva expendere, ut idonei fiant, qui suae fidei reddant rationem, alios ad eam adducant et adversariorum redarguant cavillationes.

## Cap. II.

### De revelatione christiana.

*Inter omnes religiones revelatas eminent religio christiana, in qua, Deo sint gratiae, nati et educati sumus. Cuius religionis auctorem veneramus Dominum Jesum Christum, Filium Dei vivi, atque consequenter absque minimo dubio tenemus, religionem christianam esse unice veram. Sed, proh dolor! etiam de origine et auctore religionis christianae in nostra dioecesi varii errores circumferuntur. Ideo hoc loco inculcetur veritas christiana de Christo Messia atque Filio Dei, qui ut propheta, sacerdos et rex Deo nos reconciliavit.*

#### §. 1.

#### *De Christo Messia.*<sup>2)</sup>

Certum est, multis saeculis ante Christum inter Iudaeos exstitisse vaticinia, quibus futurus Messias praedicebatur.

In primis historia docente scimus, *Iudaeos tempore Christi expectasse legatum divinum, quem vocabant: Messiam, id est Unctum. Nonne Herodes interrogavit, ubi „nasceretur Christus?“*<sup>3)</sup> *nonne loquitur de Christo Simeon*<sup>4)</sup> *in templo, prophetissa Anna*<sup>5)</sup>, *legatio Iudaeorum apud Joannem Baptistam*<sup>6)</sup>, *verbum Andreae*<sup>7)</sup> *et Philippi*<sup>8)</sup> *et exclamatio Iudaeorum: „Hic est vere propheta, qui venturus*

<sup>1)</sup> Vat. cap III. de fide can. 6. — <sup>2)</sup> Pesch, de Christo Salvatore; Jungmann, P. Herrmann II. cc. — <sup>3)</sup> Matth. 2, 49. — <sup>4)</sup> Luc. 2, 25. sqq. — <sup>5)</sup> Luc. 2, 38. — <sup>6)</sup> Matth. 11, 3. — <sup>7)</sup> Joan. 1, 41. — <sup>8)</sup> Joan. 1, 45.



est in mundum<sup>1)</sup>, „Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit?“<sup>2)</sup> Eandem fidem habebant Samaritani<sup>3)</sup>, quod signum est iam ante eorum separationem a Judaeis hanc fidem adfuisse.

Hanc fidem Judaei hauserant e sacris Scripturis veteris Testamenti. de quibus constat, eas saltem tribus saeculis ante Christum adfuisse. Ratio est, quia versio LXX saltem medio saeculi II. ante Christum finita est. Consequenter vaticinia Messianica, quae in versione LXX exstant, saltem tribus saeculis ante Christum in textu hebraico aderant. Hoc sufficit, licet facile probari possit, libros veteris Testamenti multo ante exstitisse.

Si haec vaticinia simul summuntur, revera magnam prophetiam futuri eventus constituunt et quidem eventus, qui est scopus et finis veteris Testamenti, ad quem praeparandum omnes res gestae populi iudaici innata sua vi tendunt. Hoc modo de istis vaticiniis loquitur Jesus Christus ipse in Evangeliiis; hoc modo vaticinia considerabantur a Judaeis, qui ex illis hauserunt expectationem futuri Messiae, in quo benedicerentur omnes gentes.

Neque negari potest, in ortu et progressu populi israelitici manifestari plane singularem educationem, ab aliorum populorum progressu omnino diversam, cuius maturus fructus est religio christiana. Unde religio iudaica et religio christiana non possunt inter se separari, sed ab initio mundi usque ad nostra tempora unam continuam seriem eventuum maxime mirabilium complectuntur, cui nihil par, nihil simile appareat in omnibus reliquis factis historicis. Tota haec series indolem praeternaturalem tam manifeste prae se fert, ut eam ex principiis naturalibus explicare velle sit coeptum desperatum.

Quae vaticinia Messianica successu temporis magis magisque distincta prodierunt. Jam in proto-evangelio homini lapsa victoria de adversario promittitur per „semen mulieris.“<sup>4)</sup> In vaticinio Noe<sup>5)</sup> Messias praedicatur oriundus ex

1) Joan. 6, 14. — 2) Joan. 7, 31. — 3) Joan. 4, 25. sqq. — 4) Gen. 3. 15. — 5) Gen. 9, 26. 27.



stirpe Sem; dein Abrahae<sup>1)</sup>, Isaaco<sup>2)</sup> et Jacobo<sup>3)</sup> Deus promisit, fore ut in ipsis benedicantur omnes gentes. Jacobus<sup>4)</sup> vero praedixit fore, ut regia potestas detur posteris Juda et ut haec potestas totam suam perfectionem adeptura sit, quando venerit magnus ille pacificator, vel magnus ille rex, cui haec potestas prae ceteris conveniat et cui obediri sint populi.

Sequuntur multa vaticinia data regibus David<sup>5)</sup> et Salomon<sup>6)</sup>; vaticinia de abiectioe populi Israel et pastorum eius et de suscitatione novi pastoris<sup>7)</sup>, de Messia qua rege<sup>8)</sup>, propheta<sup>9)</sup> et sacerdote<sup>10)</sup>, vaticinia de tempore<sup>11)</sup> adventus et de loco nativitatis eius.<sup>12)</sup>

Inde apparet, *quomodo promissio et expectatio futuri. Messiae et regni eius totam historiam populi israelitici pervadat*, ab initio obscurior et paucis lineamentis obumbrata, paulatim autem magis magisque explicata, donec forma Messiae omni ex parte absoluta proponatur et fidelium Judaeorum animos ad sui desiderium vehementer inflammet, qui summo cum desiderio expectabant „consolationem et redemptionem Israel.“<sup>13)</sup>

Facile autem probari potest, *omnes prophetias usque ad ultimum apicem adimpletas esse in Domino nostro Jesu Christo*, qui ipse ad illas saepius provocabat. „Scrutamini Scripturas“, inquit Judaeis, „quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et illae sunt, quae testimonium perhibent de me . . . . Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est, qui accusat vos, Moyses, in quo vos speratis. Si enim credideritis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim scripsit.“<sup>14)</sup> „Incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis,

1) Gen. 12, 1 sqq. 18, 18; 22, 18.; 26, 4.; 28, 14. — 2) Gen. 26, 2. — 3) Gen. 28, 12 — 4) Gen. 49, 10 — 5) 2. Reg. 7, 13. 3. Reg. 2, 3, 4. — 6) 3. Reg. 9, 4. — 7) Osee, Joel, Abdia, Isaias, Ezechiel pas., sim. — 8) Is 9, 6 Dan 7, 14 — 9) Deut. 18, 15.; 42, 1. sqq. — 10) Ps. 109.; Is. 52, 15.; 53, 4. sqq. Zach. 6, 11. sqq. Malach. 1, 11. — 11) Dan. 9, 21. sqq — 12) Mich. 5, 2. sqq. — 13) Luc. 2, 25. 38. — 14) Joa. 5, 39, 45. 46.



quae de ipso erant.“<sup>1)</sup> „Ecce, ascendimus Jerosolymam et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de filio hominis“<sup>2)</sup> Magistrum suum secuti apostoli quoque vaticinia de Christo intelligenda esse docuerunt.<sup>3)</sup>

Ergo: *Jesus est revera Christus*, sc. divinitus promissus propheta, legatus divinus, quem populus exspectabat.

## §. 2.

### *De revelatione Christi.*

Per revelationem veteris Testamenti Deus iam ab initio generis humani indigentis eiusdem, ut vitam fini suo proximo et ultimo conformem agere possit, abundanter satisfecit. Ast haec revelatio tendebat ad novam perfectiorem revelationem per Messiam. Jamvero, sicut Jesus pronuntiari debet promissus ille Messias, quippe in quo omnes prophetiae adimpletae sunt, ita *revelatio quoque, ab illo patefacta, munita est notis, quibus divina eiusdem origo evidenter demonstratur.*

#### *1. De notis intrinsecis.*

Religio christiana est *excellentissima*. Nam in eius dogmatibus effulget *sublimitas* tum in doctrinis, quae Deum, tum in illis, quae hominem attinent; dein effulget eiusdem *puritas*; nam in eiusdem dogmatibus nunquam contradictio aut cum recta ratione repugnantia detegi, nihilque falsum aut indecorum, nihil, quod summam sapientiam aut sanctitatem non redolet, afferri potuit; denique effulget *simplicitas et certitudo*.

*In praeceptis suis religio christiana regulam morum exhibet sanctissimam*, quae omnia in hominis sanctitatem ordinat; *simplicissimam*, cum omnia officia in charitate, quae est vinculum perfectionis, compendiose includantur; *universallissimam*, quia omnia hominis officia determinat, omnes vir-

<sup>1)</sup> Luc. 24, 27. — <sup>2)</sup> Luc. 18, 31. — <sup>3)</sup> Act. 2, 25 sqq.: 3. 18.; 7, 52.; 28, 23. etc.



tutes praescribit vel commendat, omnia vitia prohibet, non solum actus externos attingit, sed et internos animi motus regulat.

*In sua sanctione lex evangelica altissima est et sapientissima*; non enim promittit bona temporalia, aut minatur mala terrena, sed bonis in futuro saeculo vitam promittit aeternam, in praesenti pacem et gaudium bonae conscientiae, malis autem reservatur gehenna.

*In mediis salutis denique est efficacissima*; maximum medium salutis est ecclesia, dein oratio, sacrificium missae, sacramenta et alia permulta, quibus ecclesia fideles excitat, vel ut a somno peccati et teporis exurgant, vel ut in iustitia in diem crescant.

Si hanc doctrinam Christi cum illa philosophorum vel aliarum religionum comparamus, *coacti sumus agnoscere, eam non esse humanae originis. Nam unde Christus illam haurire potuisset?*

*Non ex se ipso*, quia „litteras non didicit“ <sup>1)</sup>, ergo, si esset purus homo, talem doctrinam, cui nulla alia ob eiusdem sublimitatem nec comparari potest, nullo modo concinnare potuisset. *Non ex lege Mosaica, vel a philosophis, vel ab aliis religionibus*; nam nec scholas frequentavit, nec ullo modo religiones populorum utpote semper Nazarethi vivens cognovit; immo licet haec omnia didicisset, nihilominus ex iis doctrinam suam haurire non potuisset, quippe quae omnes reliquas sublimitate, puritate et conformitate cum ratione in immensum superat.

Ideo concludere licet, religionem christianam esse originis divinae.

## 2. De persona Christi.

Divina origo religionis christianae melius adhuc patebit ex consideratione personae Christi. *Nam ex caractere Christi divina religionis origo certo evincitur.*

<sup>1)</sup> Joan. 7, 15.



*Christus* non semel, sed saepius, prouti iam vidimus, clarissime testimonium suae divinae missionis reddidit, clareque testatus est, se esse Messiam Patribus promissum; immo his non contentus *solemniter affirmat, se esse vere filium Dei.*

Apud Matthaeum <sup>1)</sup> *Christus* inducitur orans: „Ita Pater, quia sic fuit placitum ante Te; omnia mihi tradita sunt a Patre. Et nemo novit filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi filius et cui voluerit filius revelare.“ Ergo soli filio intima Patris cognitio est naturalis, sicut soli Patri naturalis est intima cognitio filii. — Idem discimus ex narratione Matthaei <sup>2)</sup>, ubi *Christus* interrogat discipulos, quem se esse dicant homines et dein discipuli. Et Petro profitenti: „Tu es *Christus filius Dei vivi*“ respondit *Jesus*: „Beatus es, Simon . . . quia caro et sanguis non revelavit tibi hoc, sed Pater meus, qui in coelis est.“ — *Christum* esse verum Dei ex professo in toto evangelio S Joannis demonstratur; ita Judaei quoque intellexerunt, eumque propterea lapidare voluerunt et revera propter iuratam professionem, se esse filium Dei, ad mortem eum postulaverunt.

*Haec confessio Christi peremptoria est.* Nam *eximia eius sapientia*, quam etiam hodierni rationalistae, licet ecclesiae infensissimi, agnoscere et extollere coguntur, evidenter demonstrat, eum circa suam propriam personam deceptum non fuisse; *ipsius vero sanctitas*, morum integritas, vitae puritas et innocentia et quidem tanta, ut infensissimi hostes nullam unquam in eo maculam deprehendere potuerint, evidenter demonstrant, ipsum alios voluntarie decipere nolluisse.

*Christus* ergo legatus divinus, immo filius Dei vivi necessario agnoscere debet. Inde autem sequitur, *religionem ab ipso institutam* nullo modo posse esse erroneam, *sed unice veram.*

### 3. De notis extrinsecis.

Neque desunt *notae extrinsecae*, quibus religionis christianae divinitas invicte probatur: sc. *miracula proprie dicta, prophetiae et miracula moralia.*

<sup>1)</sup> 11, 27. — <sup>2)</sup> 16, 13. sqq.



## a) Miracula proprie dicta.

Christum *opera miraculosa edidisse ex evangeliiis manifestum est*. „Christus“, ut ait Thom. Aq. 1) „fecit miracula circa spirituales substantias eiiciendo daemones; circa corpora coelestia, ut manifestum est de stella, quae in eius ortu apparuit, et de tenebris et obscuracione solis, quae in eius morte contingerunt; circa homines, sanando eos, a quacunq; detinebantur infirmitate; circa creaturam irrationalem, ut patet de miraculosa piscacione, de multiplicacione panis etc.“

Haec opera Christus non clam, sed publice coram populo operatus est; insuper haec opera adeo splendida et clara erant, ut infensissimi hostes ea negare non potuerint.

Miracula haec *historice et philosophice certa sunt*. *Historice*, eo quod narrantur in libris evangeliorum, quorum genuinitas ita probatur, ut illa reiecta nulla veritas historica stare posset; insuper de iis testes habemus Iudaeos et ethnicos ut Celsum, Porphyrium, Julianum apostatam. *Philosophice* ea vera esse patet ex specie operum, nam plura omnem creatam virtutem evidentem superant ut resuscitatio mortuorum, illuminatio caecorum; dein patet ex modo, quo patrata sunt; nam Christus aegrotos non solum praesentes, sed etiam absentes subito curavit et plerumque solo vocis imperio.

*Christus autem illa operatus est*, ut Deum glorificaret, ut bonos mores promoveret, ut homines ad verum cultum Dei adduceret, ut se Messiam esse testificaretur: uno verbo, *ut regnum Dei stabiliret, regnumque diaboli prosterneret*.

Prae omnibus autem miraculis eminet eiusdem *gloriosissima a mortuis resurrectio*, qua divinitas Christi eiusdemque religionis invicte probatur; unde rationalistae nihil intentatum relinquunt, ut tantum miraculum removeant, at frustra. Nam nullo modo reiici potest historica veritas, Christum mortuum esse et tertia die resurrexisse.

1) S. Th. p. 3. q. 44.



## b) Prophetiae.

*Prophetiae sunt criterium decretorium de divinitate religionis, cuius in gratiam eduntur; atqui a Christo plures prophetiae in divinae suae missionis suaeque doctrinae testimonium editae sunt.*

Nam *Christus multa praedixit* de seipso, de apostolis, de sorte gentis judaicae, de gentilibus et de sua religione, quae utpote futura contingentia qua purus homo naturaliter certo praecognoscere non potuisset.

## c) Miracula in ordine morali.

*Insuper nonnulla facta externa ennumerantur, ex quibus christianae religionis divinitas enotescit.*

Primum factum est religionis christianae *celerrima propagatio*, licet essent maxima obstacula, media humana nulla aut vix ulla, quae propagatio ergo a sola Dei potentia effici potuit.

Alterum factum est religionis christianae *perpetua stabilitas*; nam christiana religio eadem est nunc ac fuit in ortu: eadem docet dogmata, eadem servat morum praecepta, eadem possidet sacramenta, iisdem regitur pastoribus et quidem licet inde ab incunabulis ab hostibus tum externis tum internis vehementissime fuerit impugnata. Talis vero stabilitas nonnisi a Deo venire potest.

Tertium factum est *ingens numerus martyrum eorumque invicta constantia*, quae nulli causae nisi divino adiutorio adscribi potest. Id patet, si consideratur martyrum ingens numerus, eorum qualitas, conditio, aetas, dein suppliciorum atrocitas, persecutionum diurnitas, exempla virtutum et effectus pro ecclesia. Jamvero, perpensa humanae naturae fragilitate haec omnia in unum collecta vires mere humanas superant, altiorisque causae influxum, quae innatam fragilitatem corroboret et superiorem addat virtutem, expostulant.

Quartum factum est *morum renovatio* per religionem christianam in mundum inducta. Quae renovatio fieri non potuit absque divina gratia, qua mens illuminatur, ut co-



gnoscat, quae facienda sint, ut cor in melius mutetur et ut voluntas, quod ratio dictaverit esse faciendum, revera efficiat. Potest quidem homo alium exterius ad bonum exhortari, ast interna cordis mutatio opus est solius Dei.

Quia ergo revelatio christiana in veteri testamento praedicta omnibusque notis verae revelationis insignita tanta evidetia ut divina probatur, ut, si error possibilis foret, Deus ipse erroris auctor dicendus esset, inde *necessario concluditur, religionem christianam esse divinam, ergo omnibus absolute obligatoriam.*

### §. 3.

#### *De muneribus Christi.*

Opere pretium est, uberius investigare, cur Christus in mundum venerit et quomodo opus suum peregerit.

De summo momento sui adventus Christus ipse loquitur. „Sic Deus“, inquit, „dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.“<sup>1)</sup> Deinde: „Venit filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat.“<sup>2)</sup>

Ergo Christus venit nos, qui perieramus, quaerere, salvos facere et ad vitam aeternam perducere, id est, nobis aberrantibus ostendere viam salutis, viam ad finem ultimum. *Christus in se suscepit opus nostrae redemptionis, quod opus feliciter peregit fungens triplici munere, nimirum munere sacerdotali, prophetico et regali, quorum munerum brevis explicatio proponatur.*

#### *1. De munere sacerdotali.*

In libris antiqui testamenti, in quibus omnimoda claritate persona Messiae describitur, *Christus exhibetur ut sacerdos.* Dicitur enim „sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.“<sup>3)</sup> Sacerdos iste „asperget multas gentes“<sup>4)</sup>; aspersio autem est praecipua pars actionis sacrificialis. Neque aliam hostiam offeret, quam seipsum: „vere languores nostros

1) Jo. 3, 16. — 2) Luc. 19, 10. — 3) Ps. 109. — 4) Is. 52, 15.



ipse tulit . . . ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra . . . si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum.“<sup>1)</sup> Hic sacerdos instituet novum sacrificium, quod offeretur a solis ortu usque ad occasum.<sup>2)</sup>

Messias ergo clare sacerdos praedicitur. Sacerdotis autem est, ut sacrificia Deo offerat; sacrificium vero principalis pars est religionis, in qua cultus Deo debitus nobis praescribitur. *Cultus Deo praestandus consistit in intimo sensu et agnitione absoluta supremae excellentiae et dominii Dei, principii et finis omnium, atque in agnitione dependentiae omnimodae, qua omnia Dei nutui subiiciuntur.* Hunc sensum atque affectum humilis Dei adorationis comitantur affectus laudis, gratiarum actionis et petitionis, et in *homine peccatore maxime sensus proprii reatus*, quo homo agnoscit, se dignum esse morte temporanea atque aeterna, *simulque spes veniae a Deo misericordi obtinendae.* •

Ab initio vero generis humani omnique tempore homines tum lumine rationis, tum revelatione edocti maxime per *sacrificia* illa sensa interna exterius manifestabant. Ii scilicet res sibi in dominium dātas pro se substituebant Deoque offerebant tali actione sacra, quae apta erat ad duplicem sensum supremi Dei dominii atque proprii reatus exprimendum. Id vero praecipue obtinetur per rei destructionem et immolationem, id est, per sacrificium, qua homo profitetur, se esse reum mortis, seseque substituere in vicem suam victimae mortem. Ad sacrificium autem essentialiter pertinet sacerdos, cuius est sacrificia Deo offerre.

Christus ergo iuxta praefatas prophetias *sacerdos esse et qua talis sacrificium offere debuit* ad expianda peccata populorum. Et revera Christus nominatur Jesus, „ut salvum faceret populum a peccatis eorum.“<sup>3)</sup> Christus peccata nostra in se suscepit atque semetipsum Deo obtulit sacrificium in ara crucis. Nam ipse loquitur de „corpore, quod pro vobis tradetur“ atque de „sanguine, qui pro vobis et pro multis

1) Is. 53, 4. sqq. — 2) Mal. 1, 11. — 3) Matth. 1, 21.



effundetur in remissionem peccatorum.“<sup>1)</sup> Dein: „Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam pro multis.“<sup>2)</sup> In antiquo foedere animalia tantummodo symbolice pro homine substituebantur, Christus realiter pro nobis substitutus est et libera voluntate semetipsum obtulit in ara crucis, ut pro nobis poenas lueret, atque satisfactionem condignam divinae praestaret iustitiae. Id luculenter deducit eius apostolus: „Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata . . . Christus assistens pontifex futurorum bonorum . . . neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta . . . sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum se ipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.“<sup>3)</sup> Etiam ab apostolorum principe Petro idem inculcatur: „Peccata nostra ipse pertulit in corpore super lignum: ut peccatis mortui iustitiae vivamus.“<sup>4)</sup>

Ergo Christus est *sacerdos et quidem constitutus in ipsa incarnatione*, nam suscipiendo humanam naturam simul suscepit officium seipsum offerendi, atque ad hoc a Deo destinatus est. Humana natura est principium, quo opere sacerdotali perfunctus est, persona autem divina est principium, quod sacerdotis et victimae officia obiit et ex quo infinitus sacrificii valor repetendus est. *Sacerdotis munere fungebatur per totam vitam, absolvit autem illud sacrificio in ara crucis.*

Inde patet *Christum mediatorem esse Deum inter et homines* et quidem praecipue, in quantum fungitur munere sacerdotii, quo in ara crucis se obtulit Deo hostiam immaculatam. Nam huic oblationi virtus et ratio tribuenda est sacrificii tum propitiatorii, quo homines fuerunt a peccato liberati, a poena subducti et cum Deo reconciliati; tum meritorii, quo omnibus hominibus salutem aeternam, atque opportunas et necessarias gratias ad eam consequendam Christus

1) Matth. 26, 26. sqq. Luc. 22, 19. sqq. — 2) Matth. 20, 28. —

3) Hebr. 9, 11. 24. — 4) 1. Pet. 2, 24.



promeruit. *Concluditur, absque Christo mediatore neminem remissionem peccatorum obtinere nec ad vitam aeternam, in qua finis noster ultimus consistit, pervenire posse.*

## 2. De munere prophetico.

Futurus *Messias etiam propheta praedicabatur*, id est legatus, quem mittet Deus ad docendum homines. Quod iam praedixit Moyses: „Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus, ipsum audies.“<sup>1)</sup> Omnes exegetae concedunt hunc textum ad Messiam referri, atque ex evangeliiis edocemur, populum quoque hanc promissionem de Messia intellexisse. Magis idem explicat Isaias: „Feriam vobiscum pactum sempiternum . . . ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus.“<sup>2)</sup> Non aliter docet Michaeas: „Et erit, in novissimo dierum erit mons Domini . . . et properabunt ad illum gentes multae et dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob et docebit nos de viis suis et ibimus in semitis eius, quia de Sion egredietur lex et verbum Domini de Jerusalem.“<sup>3)</sup> Deinde legatum divinum se probabit multis miraculis: „Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus et aperta erit lingua mutorum.“<sup>4)</sup>

Messias ergo munere prophetico fungetur. *Propheta vero appellatur, cui speciali providentia Dei munus committitur, ut populum doceat, divinum cultum prolapsum restauret, cuique in eum finem etiam facultas patranda miracula et praedicendi futura conceditur.* Et revera *Christus Jesus hoc munere functus est, legationemque suam miraculis probavit.* Turbae ipsae, quae eum audiebant, saepius prorumpabant in exclamationem, hunc esse illum prophetam antiquitus promissum. Ita Philippus: „Quem scripsit Moyses et prophetae invenimus Jesum.“<sup>5)</sup> Vel turbae: „Illi ergo homines cum vidissent, quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere ille propheta, qui venturus est in mundum.“<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Deut. 18, 15. — <sup>2)</sup> Is. 55, 3. 4. — <sup>3)</sup> Mich. 4, 1. 2. — <sup>4)</sup> Is. 35, 5, 6.

<sup>5)</sup> Jo. 1, 45. — <sup>6)</sup> Jo. 6, 14.



Idem affirmat Petrus in suo sermone ad Judaeos dicens: „Moyses quidem dixit: quoniam prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester . . . tamquam me, ipsum audietis iuxta omnia, quaecumque locutus fuerit vobis. Erit autem: omnis anima, quae non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe.“<sup>1)</sup> Jesus ipse legatum se esse divinum multis miraculis probavit, et legationi, quam Joannes in carcere inclusus ad eum misit, ut interrogaret, num ipse sit promissus Messias, respondit, ut euntes dicant Joanni, quaecumque viderint, sc. quod caeci videant, claudi ambulent, leprosi mundentur, surdi audiant, mortui resurgant, pauperes evangelizentur.<sup>2)</sup> Quibus verbis aperte provocavit ad Isaiam 35, 5. 6. loquentem de futuro Messia eiusque per opera probatione.

Attamen non solum *excellentissima doctrina* Christus prophético munere fungebatur, sed etiam *tota vita*, quatenus se *exemplar praebeuit summum omnium virtutum*. Tam praeclara omnium virtutum exempla toti mundo exhibuit, ut homines ad illa respicientes simul rectum salutis tramitem facile invenire possint, atque ad eum sequendum vehementer accendi debeant. Unde et dominus dicit: „Ego sum via, veritas et vita; ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.“<sup>3)</sup>

Ergo qua propheta Christus non solum doctrina, sed etiam exemplo toti orbi terrarum viam salutis ostendit, quod frustra quaereres a philosophis, quorum systemata infirma fuerunt nec populis profuerunt eo, quod deessent iis virtutum exempla. *Inde patet, Christum etiam doctrina sua et vita mediatorem esse Deum inter et homines, ita ut nemo ad Deum, finem ultimum, pervenire possit, nisi doctrinam Christi, qualibet alia exclusa, receperit vitamque eius imitatus fuerit.*

### 3. De munero regio.

*Messiam etiam regem et quidem aeternum omnium populorum futurum esse, ostendunt iidem prophetae.* Isaias annuntiat illum verbis: „Parvulus natus est nobis, et filius

1) Act. 3, 22. 23. — 2) Matth. 11, 5. sqq. — 3) Jo. 12, 46.; 8, 12.



datum est nobis et factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius . . . princeps pacis; multiplicabitur eius imperium . . . super solium David et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, a modo et usque in sempiternum.“<sup>1)</sup> Idem praedicitur a Daniele: „Aspiciebam . . . et ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat . . . et ipsi dedit (sc. Deus) potestatem et honorem et regnum; et omnes populi et tribus et linguae ipsi servient; potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur.“<sup>2)</sup>

Messiae ergo competet potestas regia super omnes populos et quidem aeterna; *potestas autem regia est summa auctoritas gubernandi rempublicam*, praescribendi modum, quo gubernari debeat, condendi leges et in genere suprema potestate statuendi omnia, quae ad finem rei publicae obtinendum conducant.

*Revera Christus in libris evangeliorum exhibetur rex.* Jam ab angelo, qui Mariae nuntium de incarnatione filii Dei attulit, annuntiatur rex a prophetis promissus: „Dabit illi Dominus sedem David patris eius et regnabit in domo Jacob in aeternum et regni eius non erit finis.“<sup>3)</sup> Ipse Jesus regem se esse solemniter affirmat: „Dixit ei Pilatus: ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex sum ego.“<sup>4)</sup> Populus eum aepius salutatur „filium David“; discipuli iterum atque iterum ab illo exquirebant, quando regnum Israel restitutus sit. Ipse etiam solemniter pronuntiavit: „Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.“<sup>5)</sup> Vi huius regiae potestatis loquitur de regno suo, instituit ecclesiam, praeposuit superiores, tulit leges, minatus est poenas, iudicem quoque in consumatione saeculi omnibus se annuntiat dicendo, se venturum iudicare vivos et mortuos. „Cum venerit“, inquit, „filius hominis in maiestate sua et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae: et congregabuntur ante eum omnes gentes,“<sup>6)</sup> de quibus tum iudicium feret sententiamque statim executioni mandabit.

1) Is. 9, 6. 7. — 2) Dan. 7. — 3) Luc. 1, 32. — 4) Jo 18, 33. sqq. — 5) Matth. 28, 18. — 6) Matth. 25, 31. sqq.



Inde sequitur, *Christum sacerdotem et prophetam non futurum esse mediatorem nisi iis omnibus et solis, qui regno eius nomen dabunt, quique ipsi tamquam regi in omnibus perfectam praestabunt obedientiam.*

## § 4.

***De dominio Christi.***<sup>1)</sup>

De dominio Dei iam locuti sumus. Nunc vero doctrina quoque de *dominio Christi proferatur*, unde clarius adhuc patebit omnimoda nostra dependentia non solummodo a Deo Creatore, sed etiam a Deo Redemptore.

Per peccatum homo in *triplicem coniectus est servitutem: peccati, diaboli et mortis*. Incurrit homo *servitutem peccati* duplici ratione. Primo, quia transeunte actu manet culpa, cuius vinculis plus quam adamantinis nulla creatura illum solvere poterat, unde necessario manebat aeterna servitute peccati oppressus. Secundo, quia sublata per peccatum gratia, soluta est viresque assumpsit concupiscentia, cui homo absque gratia resistere non potest; itaque illa dominari coepit, totumque hominem sibi servire fecit.

*Diaboli vero servitutem* contrahit homo primo, quia diabolus est primarius in regno peccati minister; secundo, quia hominem vicit et sibi subiectum reddidit. Et „totus mundus dicitur in maligno positus,“<sup>2)</sup> id est in diaboli potestate et servitute.

*Servitutem mortis* incurrit homo ratione peccati; nam eo, quod peccato consensit, subditus factus est servituti mortis, ut mors in perpetuum ei dominetur. Mors autem intelligitur perfecta et absoluta, a qua nullus amplius ad lucem vitae est reditus.

Hi sunt ergo, quorum servituti homo per peccatum subiectus erat: peccatum, diabolus, mors. Verum, quam tetri sunt isti domini! quam crudeles et diri tyranni! quam ignominiosa ista servitus! *Nihil enim peccato foedius, nihil diabolo crudelius, nihil morte acerbius*. Accedit, quod haec

<sup>1)</sup> Suaresius de perf. divinis l. X. c. V. — <sup>2)</sup> Joan. 5.



servitus non erat temporalis, sed sempiterna: nulla enim creatura nos liberare poterat. Nemo in coelo et in terra inventus est, qui iugum nobis impositum tollere valeret: *solo filii Dei sanguine solvi poterat.*

Sed quis tale remedium non dico sperare, sed vel suscipi potuisset? Cum ergo nihil spei superesse videretur, Deus nefandam sortem nostram miseratus carne humana sese induit, mundumque ingressus cum tribus illis tyrannis singulari certamine pugnavit, eisque suo sanguine suaque morte superatis, hominem e servitute illa acerbissima ereptum sibi servum fecit.

*Nam, cum Dominus nos a praedictorum tyrannorum servitute liberaverit, merito in nos Domini ius usurpat et servitutem a nobis exigit, idque triplici iure. Primo iure victoris;* qui enim alterum legitimo proelio vicerit, iure suo eius bona et omnia spolia occupat. *Secundo iure emptionis* Erat enim homo a iustitia divina ad servitutem illam damnatus, donec pro iniuria satisfaceret: qui cum nullo modo satisfacere posset, solvit pro eo pretium filius Dei, non ut omnino liber esset, quod neque fieri poterat, neque ipsi expediebat, sed ut esset servus Dei et Christi eius, cui, prouti vidimus, etiam ex ipsa naturae conditione servitutem debebat. Hinc dicimur „empti pretio magno“ <sup>1)</sup> et „redempti ab omni iniquitate.“ <sup>2)</sup> Itaque ex pacto Christi et sententia divinae iustitiae, quae hoc pactum acceptavit, ex servitute peccati, satanae et mortis translati sumus ad servitutem iustitiae Christi et vitae, quae servitus verissima est libertas.

*Tertio iure compensationis.* Cum enim a nobis tam diram et intolerabilem servitutem excusserit, idque tantis laboribus et doloribus suis, iure a nobis hanc compensationem exigere poterat, ut nos ipsum in Dominum acceptaremus, eique perpetuam servitutem pro tanto beneficio exhiberemus.

*Inde sequitur, nos obligatos esse ipsi adhaerere, opus redemptionis acceptare et omnia praestare, quae ille a nobis*

<sup>1)</sup> 1. Cor. 6. — <sup>2)</sup> Tit. 2.



*servis exigit.* Atqui imprimis a nobis exigit fidem exhibendam praedicatoribus ab illo ordinatis: „Mihi data est omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes . . . qui crediderit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur.“<sup>1)</sup> „Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me . . . qui spernit me et non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum.“<sup>2)</sup> *Quis hac veritate cognita et perpensa auderet revelationem datam respuere? Nonne amentiae culpandus esset?*

## Titulus III.

### De vera ecclesia Christi.

Novimus iam, aliquam a Jesu Christo institutam fuisse religionem, quam, ut solam veram, omnibus sub poena aeternae reprobationis obligatoriam esse diximus. Nunc vero inquirendum est, *quaenam ex ecclesiis, quae se Christi esse gloriantur, sit vera ecclesia*, quam Christus religionis suae custodem constituit.

Cum ecclesiae institutio *factum sit positivum a libera Christi voluntate pendens, ideo in investiganda ecclesiae natura, non tam ratione, quam auctoritate nitendum est*, dictis sc. et factis Christi, quae ex Scripturis et Traditione nobis innotescunt. Scriptura vero et Traditione contra incredulos utimur non ut divina, sed solummodo ut humana auctoritate pollentes.

Pro dolor, quod de *ecclesia apud nos, imprimis apud classem excultam, funesti errores circumferantur!* Ecclesiae nimirum institutio divina negatur; eiusdem natura false concipitur; primaevam ecclesiam decursu saeculorum depravatam esse contenditur; imprimis vero potestas ecclesiasticae hierarchiae non solummodo negatur, sed intensissime impugnatur.

1) Matth. 28, 16.; Marc. 16, 16.

2) Joan. 12, 44.



Ideo *veritates de ecclesiae institutione et natura, de ecclesia romana breviter evolvantur* et obiectiones principales solvantur.

## Cap. I.

### De institutione et fine ecclesiae.<sup>1)</sup>

Primo enucleandae sunt *veritates de institutione et fine ecclesiae*: interrogandum sc. an sit instituta a Christo aliqua ecclesia et quem ob finem; cognitis existentia et fine ecclesiae ulterius progredientes inquiremus, quid sit ecclesia, quaenam sit intima eius natura a divino fundatore ei indita, deinde qualis sit ecclesia et quomodo ab omnibus aliis ut vera ecclesia Christi cognosci possit.

#### §. 1.

#### *De ecclesiae institutione.*

*Ex fontibus historicis patet, a Christo ecclesiam ceu veram societatem religiosam fundatam fuisse.*

In primis evangelistae narrant *promissionem Christi* de ecclesia fundanda supra petram<sup>2)</sup> et de ovili omnibus Christi ovibus destinato.<sup>3)</sup> *Promissionem Christus adimplevit.* Nam homines in *unum corpus congregavit et sub eodem regimine* adunavit. Constat enim Christum duodecim apostolos elegerisse, quibus munus praedicandi commisit<sup>4)</sup> atque potestatem solvendi et ligandi largitus est; deinde constat, Christum caeteris apostolis Petrum praefecisse<sup>5)</sup> atque fidelibus iniunxisse, ut praepositis obedientiam exhibeant.<sup>6)</sup> Deinde Christus omnes ad communem spiritualem finem ordinavit, nam saepius ad sanctitatem illos provocavit, ut vitam aeternam consequantur.<sup>7)</sup> Denique omnibus eadem praescripsit media

<sup>1)</sup> Herrmann, Institutiones theologiae dogmaticae t. 1. Pesch, Instit. dogmaticae t. I. inst. proped. ad theolog. — <sup>2)</sup> Matth. 16, 18. — <sup>3)</sup> Joan. 10, 16. — <sup>4)</sup> Matth. 10, 1. — <sup>5)</sup> Matth. 16, 18. Joan. 20, 15. — <sup>6)</sup> Matth. 18, 17. Luc. 10, 16. — <sup>7)</sup> Joan. 17, 19.; 10. 27. sqq.; Marc. 16, 15.



ad salutem sc. eandem fidem, eadem sacramenta et praecepta.<sup>1)</sup>

Et revera *apostoli statim post Christi ascensum novam societatem religiosam coadunaverunt*. Jam ipsa die Pentecostes ad verba Petri multi crediderunt, baptizati et in coetum a synagoga distinctum congregati sunt; apostoli diaconos instituunt, leges statuunt, contumaces puniunt, pastores ordinant et diversis ecclesiis praeficiunt atque doctrinam auctoritative definiunt.<sup>2)</sup>

Ex his manifeste commonstratur, *iam a temporibus Christi ecclesiam per modum societatis constitutam* fuisse. Et revera nullum potest assignari tempus, quo ecclesia Christi non exstiterit, vel quo se a Christo fundatam non asseruerit. Quod non solummodo testes ecclesiastici, sed profani quoque ut Celsus, Plinius, Suetonius, Josephus Flavius confirmant.

Christus igitur et quidem immediate aliquam fundavit societatem religiosam, Ecclesiam scilicet, utpote qui immediate eius formam constituerit, ministros elegerit, sacramenta instituerit atque media ad ecclesiae finem consequendum designaverit. Unde patet, *ecclesiam esse societatem positive divinam*, cuius natura et proprietates non a principiis naturalibus repetenda sunt, sed a libera Christi ordinatione; quia autem id, quod iuris divini est, humanam excedit potestatem, *dicendum est, ecclesiam in sua constitutione esse immutabilem*.

## §. 2.

### *De ecclesiae fine.*

Omnis sapiens propter finem agit. Quem *finem Christus ecclesiae suae proposuit?* Audiamus eiusdem verba.

*Christus apostolis suam missionem demandavit*, ut eam tamquam legati eius in terris continuarent. „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.“<sup>3)</sup> „Ego elegi vos, ut eatis et fructum afferatis.“<sup>4)</sup> „Qui accipit, si quem misero, me ac-

1) Marc. 16, 15.; Joan. 6, 55.; Matth. 28, 20. — 2) Act. apost. passim. — 3) Joan. 20, 21. — 4) Joan. 15, 16.



cipit.“ 1) Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.“ 2) Misit vero Christus apostolos eorumque successores ad omnes gentes et usque ad finem mundi. 3)

Ut vero ecclesia missionem Christi continuaret, *triplicem potestatem*, qua ut Propheta, Sacerdos et Rex fungebatur, ipsi demandavit, nimirum *potestatem docendi*: „Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes“ 4); *potestatem sanctificandi*: „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; haec cum dixisset, insufflavit et dixit: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittentur“ 5); *et potestatem regendi*: „Pasce agnos meos, . . . pasce oves meas“ 6); „quaecumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in coelo. . . .“ 7)

Denique Christus ecclesiae *omnia salutis media* elargitus est, scilicet *praedicationem verbi sui*, quae exclusive ecclesiae concredita est, ut ex auditu homines credant et iustificentur; *sacramenta*, quae sunt praecipua iustificandi media; denique *Petro munus pascendi gregem* commisit; sed pascere nihil est aliud, quam media suppeditare, quibus homo sanctitatem et vitam aeternam obtinere valeat.

*Finis ergo ecclesiae est, ut continuando missionem Christi salutiferum redemptionis opus usque ad ultimos fines terrae extendat et usque ad finem saeculi visibile Redemptoris munus in terris obeat.*

Inde sequitur, ecclesiam esse *societatem spiritualem et supernaturalem*, nam eius finis omni ex parte spiritualis et supernaturalis est; dein eam esse *societatem necessariam ad salutem*, nam opus redemptionis tantummodo per ecclesiam continuatur atque hominibus applicatur; denique *eam esse sponsam Christi et matrem nostram*, nam a Christo ad prolem spiritualem generandam et alendam electa omnes nos revera generavit atque pascit et fovet.

1) Joan. 13, 20. — 2) Luc. 10, 16. — 3) Marc. 16, 15.; Matth. 28, 19, 20. — 4) Matth. 28, 18 19 — 5) Joan. 20, 22. 23. — 6) Joan. 21, 15. sqq. — 7) Matth. 18, 18.



## Cap. II.

### De natura ecclesiae.<sup>1)</sup>

Christus, Deus — Homo, fundavit ecclesiam ut veram societatem religiosam, quae missionem suam a Patre acceptam in terris usque ad finem saeculorum continuaret. Ob *varios et quidem graves in dies repetitos errores forma huius societatis uberius determinetur*. Inquirendum est igitur *in eius naturam*. E fontibus historicis eruitur, *ecclesiam esse societatem inaequalium atque in ea a Christo Jesu immediate hierarchiam sacram in diversos gradus distinctam institutam* fuisse. Quae doctrina magni est momenti pro nostra dioecesi, in qua toties asseritur, hierarchiam fuisse intrusam sibi que vi et fraude suam in populum potestatem usurpasse, ac proinde populum a tyrannide hierarchiae esse liberandum.

#### § 1.

#### *De distinctione inter clericos et laicos.*

*Laici* sunt homines, quibus nulla pars ecclesiasticae functionis demandata est; *clerici* autem vocantur depositarii sacrae potestatis, quam Christus Dominus ecclesiae commisit. Quae *essentialis distinctio in ecclesia semper obtinuit*.

Nam *Christus* ex „turba discipulorum duodecim elegit, quos apostolos nominavit“<sup>2)</sup>, eis que solis et immediate docendi, ministrandi et regendi potestatem concessit. „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos . . . euntes docete omnes gentes, baptizantes eos . . . quorum remiseritis peccata, remittentur eis . . . quaecunque alligaveritis super terram . . .“<sup>3)</sup> Ipsis solis contulit potestatem Eucharistiam conficiendi<sup>4)</sup>; ex eis solis publicum ecclesiae tribunal constituit<sup>5)</sup>; tamquam eorum socios nonnisi septuaginta duos designavit discipulos.<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Herrmann, Pesch II. cc. — <sup>2)</sup> Luc. 6, 12. — <sup>3)</sup> Matth. 28, 19.; Joan. 20, 21. 22. 23. — <sup>4)</sup> Luc. 22, 19 — <sup>5)</sup> Matth. 18, 17. — <sup>6)</sup> Luc. 10, 1.



Eandem divisionem fidelium in subditos et praepositos videmus *in omnibus reliquis scripturis* novi Testamenti. S. Paulus comparat coniunctionem fidelium cum corpore organizato, cuius „omnia membra non eundem actum habent“ <sup>1)</sup>, sed alia ad alias functiones serviunt. Ita in ecclesia sunt, quorum „munus est docere, exhortari, praeesse in sollicitudine.“ <sup>2)</sup> Monentur fideles: „Mementote praepositorum vestrorum . . . obedite praepositis vestris et subiaccete eis, ipsi enim pervigilant, tamquam rationem pro animabus vestris reddituri.“ <sup>3)</sup> Praepositis dicitur: „Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum.“ <sup>4)</sup>

*Apostoli se gerebant pro praepositis.* Independentem a populo, plerumque etiam inconsulto populo, socios apostolatus elegerunt et pastores ecclesiae praefecerunt. Paulus et Barnabas propria auctoritate per singulas ecclesias presbyteros constituerunt<sup>5)</sup>, Paulus Timotheum praefecit ecclesiae Ephesinae<sup>6)</sup>, Titum Cretensi<sup>7)</sup>, quem etiam monet, ut alios presbyteros eligat.

Ex his iterum constat, *depositarios ecclesiasticae potestatis iure divino esse a populo distinctos*; neque a populo suam eos sortiri potestatem, proinde hanc distinctionem inter laicos et clerum a nemine tolli posse.

## §. 2.

### *De hierarchia ordinis.*

Sunt ergo in ecclesia *clerici* praepositi. Quorum tria nomina occurrunt; vocantur enim *episcopi, presbyteri, diaconi*.

Si rem aspiciamus, quae his nominibus indicatur, *episcopi* praepositi sunt gregi suo ad regendum ecclesiam Dei<sup>8)</sup>, ad praedicandum et faciendum opus evangelistae, ut dirigant publicum cultum, ut administrent sacramenta, brevi, ut in rebus ecclesiasticis sint praepositi laborantes in verbo et

<sup>1)</sup> I. Cor. 12, 26. sqq. — <sup>2)</sup> Rom. 12, 4. sqq. — <sup>3)</sup> Hebr. 13, 7. 17.

— <sup>4)</sup> I. Petr. 5, 2. 3. — <sup>5)</sup> Act. 14, 22. — <sup>6)</sup> I. Tim. 1, 3. — <sup>7)</sup> Tit. 1, 5.

— <sup>8)</sup> Act. 20, 28.



ministerio sancto, ut, si opus sit, etiam iudicent et arguant.<sup>1)</sup> *Debent ergo in ecclesia sua exercere tria illa munera, quae apostoli acceperant pro toto mundo.*

*Diaconi vero constituti sunt ad iuvandos episcopos in functionibus eorum, maxime in negotiis temporalibus<sup>2)</sup>, sed etiam in praedicando evangelio<sup>3)</sup> et in administrando sacramento baptismi.<sup>4)</sup>*

*Maior fors posset videri difficultas quoad presbyteros, cum ex libris novi Testamenti erui non possit, quae intercedat distinctio inter episcopum et presbyterum. Sed posteriora documenta ecclesiastica diserte testantur, presbyteratum esse ordinem intermedium inter episcopatum et diaconatum et hunc quoque ordinem a Christo Jesu esse institutum.* Nam ex quo tempore memoria ecclesiasticae doctrinae nobis tradita est, nunquam et nullibi existit ecclesia, cui non praeesset episcopus et sub eo presbyteri et diaconi. Sit testis S. Ignatius, qui in epistola ad Smyrnenses scribit: „Omnes episcopo obtemperate, ut Jesus Christus Patri; et presbyterio ut apostolis; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum.“<sup>5)</sup> Idem in epistolis suis fidelibus saepius inculcat, oportere eos coniunctos esse cum episcopo et presbyteris eius et diaconis iuxta sententiam Christi designatis, quos secundum propriam voluntatem suam firmavit in stabilitate per S. Spiritum.

Apparet ergo tres fuisse gradus sacrae potestatis in ecclesia constitutos; fuisse proinde in ecclesia veram hierarchiam eamque imprimis ordinis, in quantum quoad ministerium sacrum episcopi sunt superiores presbyteris, presbyteri diaconis. Nam diaconi, ut fert unanimis traditio, potestatem corpus Domini consecrandi non habent, sed ministri sunt presbyterorum in oblatione sacrificii missae, sunt igitur potestate presbyteris inferiores. Presbyteri vi ordinationis corpus Domini consecrare possunt, sed potestate carent, aliis manus imponendi ad confirmationem vel sacerdotium conferendum,

1) Cf. epist. ad Tim. et Tit. — 2) Act. 6. — 3) Act. 6, 8. sqq. —

4) Act. 8, 5. sqq. — 5) cap. 8. cfr. ad Magn. c. 2.



qua potestate episcopi vi suae ordinationis pollent. Simplex ergo sacerdos in potestate ordinis episcopo est inferior.

Existit ergo in ecclesia *hierarchia ordinis triplici constans gradu* sc. ex diaconis, presbyteris et episcopis. Quae quidem hierarchia *ordinatione divina* instituta est. De *episcopis* legitur in Actibus apostolorum <sup>1)</sup>, illos a Spiritu Sancto ad regendam Dei ecclesiam positos esse. *Presbyteri autem et diaconi* ab apostolis et episcopis per *manuum impositionem* instituuntur; sed ex Scripturis constat, manuum impositionem Spiritus Sancti communicationem et spiritualis potestatis collationem semper indicare.<sup>2)</sup> Jamvero non possunt apostoli et episcopi Spiritum Sanctum communicare, nisi per divinitus acceptam potestatem, ergo presbyteratus et diaconatus de iure divino dicendi sunt.

### §. 3.

#### ***De hierarchia iurisdictionis.***

Ex iis, quae iam supra docuimus, manifestum est, in ecclesia inde *ab origine fuisse hierarchiam non solummodo ordinis, sed etiam iurisdictionis*, sc. fuisse in ecclesia diversos gradus sacrae potestatis ad docendum et regendum gregem Domini.

In primis dicendum est, *inde ab origine nonnisi episcopis demandatam fuisse plenitudinem potestatis* ab ipso Christo collatae apostolis eosque etiam quoad iurisdictionem presbyteris iure divino semper fuisse superiores.

Talem superioritatem testatur ad finem saeculi II. Tertulianus, qui contra haereticos ad apostolicam successionem provocat: „edant origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem.“<sup>3)</sup> „Dandi quidem baptis-

<sup>1)</sup> Act. 20, 28. — <sup>2)</sup> II. Tim. 1, 6. — <sup>3)</sup> De praescr. c. 32. —



num habet ius summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate.“<sup>1)</sup>

Ergo ad finem saeculi II. singulis ecclesiis praeerant episcopi, quorum successio apostolica contra haereticos efferebatur, quique iurisdictione prae diaconis et presbyteris praeeminebant. Ast eandem organizationem iam ab initio saeculi II. in ecclesia existisse, S. Ignatius passim in suis epistolis testatur: „Decet vos in episcopi sententiam concurrere, quod et facitis. Nam memorabile vestrum presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est episcopo, ut chordae citharae.“ „Quemcumque paterfamilias (Christus) mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus, ut illum ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat, ut ipsum Dominum.“ „Et licet episcopus iunior sit, fideles et presbyteri ei obedire debent, non ei autem, sed Patri Jesu Christi, omnium episcopo.“ „A haereticis vos custodite; hoc autem fiet, si nec inflati nec avulsi fueritis a Deo Jesu Christo et episcopo et praeceptis apostolorum.“ „Quotquot Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo.“ „Clamavi inter eos, quibus loquebar, magna voce, Dei voce: episcopo obedite et presbyteris et diaconis!“ „Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant. . . non licet sine episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare, sed quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum.“<sup>2)</sup>

Has ultimas sententias direxit S. Ignatius ad Smyrnenses, quorum primum episcopum ab ipsis apostolis institutum esse Polycarpum, testatur Irenaeus, discipulus eius. *Patet ergo ex testimonio Patrum apostolicorum etiam illa aetate, quae ad tempora apostolorum attingebat, singulis ecclesiis praefuisse episcopum, cuius erat regere ecclesiam, absque cuius consensu nihil in ecclesia statuere licuit.*

Neque fieri potuit, quod episcopi per decursum temporis potestatem istam sibi usurparent. Nam talis essentialis

<sup>1)</sup> De bapt. c. 17. — <sup>2)</sup> Ignat. passim in epistolis ad Trall. Philad. Smyrn.



immutatio repugnat characteri primae ecclesiae, quae firmiter tenebat id, quod ipsi traditum erat; neque proinde talis immutatio induci potuisset absque querelis et absque vehementissima resistantia, cuius tamen vel minimum vestigium in primaeva historia non reperitur; deinde quomodo eodem momento in omnibus ecclesiis tum orientis, tum occidentis aequalis immutatio et innovatio effici potuisset? saltem in una vel altera parte prior ecclesiae organisatio permanere vel diutius perdurare debuisset; de principalioribus ecclesiis existunt catalogi episcoporum usque ad tempora apostolica; ad eos patres provocare atque eorum ope haereticos refutare nec non veritatem doctrinae ecclesiasticae demonstrare solebant; neque haeretici unquam successionem apostolicam episcoporum ausi sunt negare, immo potius sibi quoque talem successionem vindicare satagebant.

*Superfluum est exigere demonstrationem, hanc episcoporum superioritatem esse de iure divino.* Nam Christus, cum ecclesiae potestatem docendi et regendi concessit, eam in manus apostolorum eorumque successorum exclusive contulit, ut ex Scripturis manifeste apparet. Atqui teste universa sanctorum doctrina soli episcopi sunt successores apostolorum. Ergo constat superioritatem episcoporum esse iuris divini.

#### §. 4.

### *De primatu iurisdictionis.*

Sermo est de *primatu iurisdictionis*, qui in eo consistit, quod aliquis super alios verus superior constituitur, potestatemque obtinet, eos tamquam subditos regendi et gubernandi in iis omnibus, quae ad societatis finem pertinent. Haec quaestio summi est momenti; nam si constare posset, Petrum a Christo Jesu primatum iurisdictionis non obtinuisse, eo ipso constaret, Romanum pontificem auctoritatem suam usurpasse, ipsumque non Christi vicarium, sed mercenarium esse, qui ad perdendas oves in Christi ovile introisset. Ast *levi negotio probari potest, Jesum Christum*



*beato Petro revera primatum iurisdictionis contulisse. Probatio conficitur praesertim triplici effato Jesu Christi et quidem:*

### *1. Effatum Christi de petra ecclesiae.*

„Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar — Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevallebunt adversus eam.“<sup>1)</sup>

Mirum est, quosdam dubitasse, sintne haec *dicta ad solum sanctum Petrum*, an vero ad totum collegium apostolorum, cum verba tam perspicua sint, ut omne dubium plane excludant. Christus enim illum alloquitur, qui eum confessus est; et interpellans Petrum nomine proprio: „beatus es Simon“, adiiciensque nomen eius patris Jonae, imponensque ei nomen Petrus, „tu es Petrus“, dicensque singulariter „et ego dico Tibi“, clare et manifeste indicat, se illum signate alloqui, cuius nomen, quod a nativitate habuit, mutandum esse praenuntiavit.

Neque dubitare licet, verbis: „et super hanc petram“ *solam personam Petri significari*, non vero Petri confessionem, vel fidem in Christum, vel ipsum Christum. Nam id postulat naturalis verborum significatio, iuxta regulas grammaticae pronomen „hanc“ non ad aliud, quam ad subiectum, de quo immediate antea factus est sermo, referri potest, quod subiectum est ipse Petrus. Id nativa quoque verborum Christi significatio postulat; Christus nimirum utebatur lingua syriaca et dixit: „tu es kepha et super hunc kepha aedificabo ecclesiam meam“; et revera est contra sanam rationem fingere prius illud kepha significare aliud subiectum, quam secundum kepha. Denique Christus Simonem appellavit petram, quia hac appellatione aliquid speciale in Simone significare voluit; hoc speciale autem

<sup>1)</sup> Matth. 16, 16—18.



nihil aliud est, quam quod super illam aedificare intendit suam ecclesiam. In hoc casu facile intelligitur, cur Simón vocetur petra; contra vero, si per illam petram, super quam Christus vult aedificare ecclesiam, non intellexit Simonem, sed alium, e. gr. seipsum, tota concinnitas sermonis perit. Quis enim ferre potest hanc interpretationem verborum Christi: „Beatus es Simón, Bar — Jona, quod me confessus es filium Dei; et ego dico tibi: tu es petra, at non super te, sed super petram, quod sum ego, aedificabo ecclesiam meam.“ Certo hoc non esset paraphrasis, sed depravatio verborum Christi. Ceterum sermo tam planus: „tu es kepha, et super hunc kepha aedificabo“ non requirit ullam explicationem, quod attinet constructionem grammaticalem. Inde sequitur, quamlibet aliam explicationem, e. gr. de fide vel confessione Petri, esse penitus exclusam. Moderni haeretici autem simpliciter negant, Christum illa verba dixisse. Cur negant? Fortasse, quia textus est critice dubius? Minime vero! quia secus theoria eorum esset falsa, id quod videlicet repugnat.

Christus ergo *beatum Petrum ecclesiae fundamentum posuit. Quid inde sequitur? Primatum iurisdictionis in universam ecclesiam illi fuisse collatum.* Nam ex institutione Christi, quod est fundamentum in aedificio materiali, hoc Petrus est in ecclesia. Fundamenti vero munus est, ut in ipso et per ipsum exurgat aedificii unitas et toti structurae tribuatur soliditas et immobilitas. Munus Petri ergo est: Primo ut in eo et per eum unitas in ecclesia habeatur et conservetur: ex quo efficitur, cathedram Petri vocari centrum unitatis. „Propterea inter duodecim unus eligitur, ait S. Hieronymus, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.“<sup>1)</sup> Deinde, ut per eum conservetur ecclesiae firmitas et immobilitas, ita ut nunquam dissolvi aut ab hostibus conteri possit: „et portae inferi non praevallebunt adversus eam.“

Inde deducitur quoque, *Petro potestatis plenitudinem collatam fuisse.* Etenim ecclesia est vera societas, societati

<sup>1)</sup> adv. Jovin. l. 1. n. 26.



vero unitatem et firmitatem tribuit auctoritas. Ergo, eo ipso, quod Christus Petro munus procurandi et conservandi unitatem et firmitatem totius ecclesiae demandavit, eidem potestatem in universam ecclesiam tribuit.

## 2. *Effatum Christi de clavibus.*

„Et tibi dabo claves regni coelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.“<sup>1)</sup>

Quae verba Christus immediate cum antecedentibus pronuntiavit, erga ad *solum Petrum direxit* volens hac singulari promissione singularem illam Petri confessionem dono clavium remunerare.

Hisce verbis *supremam potestatem* contineri, manifestum est. Clavibus enim apud omnes gentes, sed speciatim apud Hebraeos, suprema potestas metaphoricè designatur. Sic de Eliacim legimus: „et dabo clavem domus David super humerum eius; et aperiet, et nemo erit, qui claudat; et claudet, et nemo erit, qui aperiat.“<sup>2)</sup> Ergo in ecclesia Petrus habebit claves ad claudendum et aperiendum, id est potestatem iurisdictionis in universam ecclesiam, ut, quodcumque decreverit, Deus ratum habeat. Christus quidem per se est supremus Dominus ecclesiae, „qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit; claudit et nemo aperit“<sup>3)</sup>, at ipse cum Petro hanc potestatem communicat, ut Petrus suprema vicaria potestate in ecclesiam utatur.

## 3. *Effatum de ovibus pascendis.*

Cum Jesus Christus primatum Petro promisisset, certum est, eum Petrum vere primatem ecclesiae fecisse, etiamsi huius rei nulla ullibi mentio fieret. Christus enim, quidquid promisit, ad effectum perduxit. Verum in evangelio suo S. Joannes nobis diserte testatur, quando Petrus promissam

1) Matth. 16, 19. — 2) Is. 22, 22. — 3) Apoc. 3, 7.



potestatem acceperit, sc. in illa apparitione, qua Jesus se manifestavit discipulis suis ad mare Tiberiadis:

„Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te. Dixit ei: pasce oves meas.“ 1)

Christum hic loqui ad *solum Petrum*, quamvis nonnulli haeretici negaverint, manifestum est. Evangelista hoc affirmat: „Dicit Simoni Petro“; Christus hoc verbis exprimit: „Simon Joannis, diligis me?“ Immo diserte eum ab aliis distinguit: „Diligis me plus his?“ apostolis sc. praesentibus. Ergo etiam illud verbum Christi: „pasce“ soli Petro dicitur.

Nominando *agnos et oves* sine dubio Christus *totum gregem* indicat. Grex autem Christi sunt fideles, qui omnes pertinent ad unum ovile, cuius ipse est pastor.<sup>2)</sup> Cum ipse distinguat inter agnos et oves, recte infertur indicasse Christum, in ovili suo esse aliquam inaequalitatem, quatenus ibi sunt inferiores et superiores, quorum omnium cura Petro traditur et ipse pastor omnium constituitur.

*Pascere* autem apud scriptores omnes, tum profanos tum sacros, *significat regere homines*, seu potestatem iurisdictionis super eos habere. Cum igitur hoc loco Christus soli Petro conferat iurisdictionem, *necessario intelligitur primatus iurisdictionis*; nam communem illam iurisdictionem, quae apostolatui annectitur, Petrus una cum reliquis apostolis accepit;<sup>3)</sup> hic autem agitur de speciali praerogativa, quam solus Petrus a Christo accepit, postquam specialem in eum amorem professus est. Praeterea Petrus regendum accipit integrum gregem Christi, omnes, quotcunque designantur terminis: oves et agni, ergo ipsos quoque apostolos, qui inter se sunt aequales et praepositi inferioribus fidelibus.

1) Jo. 21, 15—17. — 2) Jo. 10, 14. sqq. — 3) Jo. 20, 21.



Itaque si comparantur haec verba cum absoluta promissione primatus, dubium esse nequit, quin Christus impleverit, quod tunc promisit et Petrum universae ecclesiae primatem constituerit.

#### 4. *Alia testimonia.*

Praeter citata testimonia non desunt *alia Scripturae testimonia*, quibus Petri primatus manifestatur vel saltem innuitur et supposito primatu Petri facile intelligitur singularis illa conditio, quam S. Petrus obtinet in evangeliiis et in aliis libris novi testamenti.

Legimus Christum Petro mandasse: „tu aliquando conversus confirma fratres tuos.“<sup>1)</sup> Sed ut fideles in fide confirmare possit ita, ut fides in ipsis nunquam deficiat, necesse est, controversias decidat, credenda definiat, errores corrigat, dogmata defendat: quae omnia absque suprema docendi et regendi potesta fieri nequeunt. — Solum Petrum Christus novo nomine nuncupavit, solum Petrum in solvendo tributo sibi coniunxit; post resurrectionem angelus, qui mulieres ad apostolos misit, solum Petrum nomine suo vocavit, Christus redivivus illi primum apparuit. Quae omnia in Petro aliquam supra caeteros apostolos eminentiam innuunt.

Quam praeeminentiam caeteri apostoli agnoverunt. In catalogis apostolorum evangelistae Petrum constanter primum nominant, Petrum ab aliis tamquam eorundem caput et ducem secernunt, Paulus ascendit Jerosolimam videre Petrum.

Post Christi ascensionem Petrus statim personam primatis gerit: ille dirigit electionem Mathiae in locum Judae proditoris, post adventum Spiritus Sancti Petrus stans cum undecim loquitur ad populum, primus loquitur ad principes populi, primus in gremium ecclesiae gentes admittit, primus in concilio Hierosolimitano sententiam profert et rem definit, universas ecclesias visitat in Judaea, Samaria et Galilaea.

<sup>1)</sup> Luc. 22, 32.



**Conclusio.**

Prolatis superioribus argumentis nemo negare audeat *ecclesiam, ut a Christo Domino, vero Deo, instituta est, veram societatem hierarchice ordinatam fuisse*. Toto coelo errant, qui volunt Christum ab initio docuisse tantum homines rectum modum colendi Deum ut Patrem coelestem, sectatores vero Christi postea necessitate adactos in externos quoque coetus coiisse et ad hos formandos elementa practica ex republica romana, elementa vero doctrinalia ex philosophia graeca mutuatos esse; ex hac compositione ortam esse ecclesiam catholicam, quae non solum a Christo fundata non sit, sed contra eius mentem plane pugnet.

Nemo negat, ecclesiam tum ex philosophia gentili, tum ex institutis civilibus multa transsumpsisse, quia rationi congruit rationabilia, ubicumque inveniuntur, agnoscere et in usum convertere; neque enim admittimus, prouti hi rationalistae volunt, fidem christianam ab initio fuisse irrationabilem quemdam enthusiasmum sine ullis firmis doctrinae principiis, sed dicimus eam semper fuisse „rationabile obsequium“<sup>1)</sup> et amicam sanae rationis, cuius servitium non respuebat, sed requirebat et supponebat.

Negamus autem, Christum ipsum non instituisse ecclesiam hierarchicam, sed eam paulatim fuisse formatam. Nam contrarium nunc probavimus ex ipsis evangeliiis, nec adsunt ullae rationes, ob quas textus ad probationem adhibiti critice dubii pronuntiari possent. *Neque adversarii indicare possunt tempus, quando ecclesia hierarchica nondum exstiterit*. Dicunt quidem temporibus Cypriani hierarchiam fuisse perfectam, sed simul debent agnoscere iam Calixtum pontificem auctoritati suae fortiter instituisse, Tertullianum et Irenaeum iam apostolicam successionem episcoporum ut vinculum unitatis et firmamentum veritatis praedicasse, Ignatium de episcopo tamquam centro, cui omnes adhaerere debe-

<sup>1)</sup> Rom. 12, 1.



ant, sine quo nihil agere liceat, scripsisse. Confugiunt ad scripta anonyma vel apocrypha, quae plerumque de rebus plane diversis tractant, et si ibi doctrinam de ecclesia hierarchica non inveniunt expositam, statim concludunt, illis temporibus hanc doctrinam nondum exstitisse. Tandem suas proprias hypotheses ut theses proponunt et quidem eo maiori fiducia, quo debiliora, immo nulla habent argumenta, hisque praestitis se gerunt, quasi totam doctrinam catholicam egregie confutaverint et suam opinionem solide stabiliverint. Nos vero argumenta poscimus, eaque in abundantia retulimus.

### Cap. III.

#### De potestate ecclesiastica.

Ex iis, quae de hierarchia exposita sunt, iam constat adesse in ecclesia potestatem, quae illius principium formale constituit; superest, ut huius *potestatis natura uberius exponatur*.

Demonstravimus iam, ecclesiae finem esse, ut opus Christi Redemptoris continuet; idcirco omnis potestas, quae ad hunc finem obtinendum necessaria est, in ea existat necesse est. Propterea probavimus, ecclesiae triplex munus Redemptoris fuisse concreditum, id est ipsi collatam fuisse *potestatem docendi, sanctificandi et regendi*, vel potestatem magisterii, ministerii et imperii.

Potestas *ministerii* exercetur sacramentorum administratione; est quidem summi momenti, sed nihilominus ab eiusdem explicatione abstinemus, quia de illius natura in nostra dioecesi nulla agitur controversia.

De *magisterio autem ecclesiastico et imperio* doctrina catholica proponatur, nam multi utramque, vel saltem alterutram false exponunt, ad libitum restringunt, obstinate tum verbo tum opere impugnant.



## §. 1.

*De magisterio ecclesiae.*<sup>1)</sup>

Magisterium ecclesiae est ius et officium, quibus ecclesia constituitur hominum magistra in ordine ad vitam aeternam.

*Magisterium* dicitur: *ius*, id est vera docendi potestas, qua ecclesia sicut Christus, est „docens sicut potestatem habens“<sup>2)</sup>; *officium*, id est munus et obligatio docendi teste apostolo: „si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit: vae enim mihi est, si non evangelizavero.“<sup>3)</sup> *Huic obligationi respondet ex parte hominum officium audiendi et assentiendi.* Denique dicitur: *in ordine ad vitam aeternam*, quibus verbis indicatur magisterii obiectum, quod ex iis omnibus, quae ad salutem conducunt, coalescit.

Huius magisterii *institutio, finis et obiectum* uberius enucleandum est.

*1. De institutione magisterii.*

In ecclesia *magisterium a Christo Domino fuisse institutum*, patet iam ex iis, quae de hierarchia disputavimus.

In *scriptura* legimus Dominum apostolis dixisse: „euntes ergo docete omnes gentes . . . , docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.“<sup>4)</sup> „Euntes in mundum universum, praedicate evangelium universae creaturae . . . , qui non crediderit condemnabitur.“<sup>5)</sup> „Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.“<sup>6)</sup> Jamvero his verbis continetur: ex parte ecclesiae ius et officium docendi: docete, praedicate; ex parte hominum officium audiendi: qui non crediderit, condemnabitur; qui vos spernit, me spernit.

*S. Paulus* apostolos Christi legatos esse praedicat: „pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.“<sup>7)</sup> „Per quem accepimus gratiam et aposto-

1) Cfr. Herrmann l. c.; etiam Pesch l. c. — 2) Matth. 7, 29. —

3) I. Cor. 9, 16. — 4) Matth. 28, 19. 20. — 5) Matth. 16, 15. 16. —

6) Luc. 10, 16. — 7) II. Cor. 5, 20.



latum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius.“<sup>1)</sup>

Et revera *ecclesia* omni tempore docendi munere functa est, et gentes doctrinam evangelicam edocuit tamquam potestatem habens et contradicentes semper redarguit, monitum sequens apostoli dicentis: „Sicut enim multi etiam inobedientes . . . quos oportet redargui.“<sup>2)</sup> Item *omnes Patres* factis et verbis ecclesiae magisterium affirmant. „Praedicationem ecclesiae, inquit S. Irenaeus, undique constantem et aequaliter perseverantem . . . perceptam ab ecclesia custodimus . . . Hoc enim ecclesiae creditum est Dei munus.“<sup>3)</sup>

*Ratio* ipsa magisterium auctoritativum postulat. Nam ad fidei unitatem, firmitatem, custodiam et propagationem magisterium est ecclesiae absolute necessarium.

Unitas enim fidei pessumdaretur, si cuique fideli esset facultas libere investigandi in doctrinam; firmitas quoque nutaret, si sibi ipsi quisque in doctrinis stabiliendis esset derelictus; fides labefactaretur, si ad eius custodiam non praesto esset magisterium, quod errores auctoritative condemnare valeat; denique cum deficiente magisterio nullus legitime ad praedicandum mitti posset, propagatio fidei casui esset exposita. Si ergo Christus magisterium auctoritativum non instituisset, ecclesiae in necessariis deesset: quod absit!

## 2. De fine magisterii.

Ecclesia a Christo Domino magistra veritatis fuit instituta, ut hominibus norma credendi et infallibilis regula fidei exhiberetur.

Non loquimur de remota regula fidei, sc. de Scriptura et traditione, in quibus fidei depositum continetur, sed *loquimur de proxima regula fidei, qua infallibiliter scire possimus, quid in revelationis deposito contineatur; talis vero regula omnibus hominibus est ecclesiastici magisterii propositio seu definitio.*

1) Rom. 1, 5. — 2) Tit 1, 10. — 3) Iren. adv. haeres. l. 3. c. 24.



Legimus apud *S. Paulum*: „Christus dedit quosdam apostolos, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores . . . , ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.“<sup>1)</sup> Quibus verbis manifeste constat, magisterium in ecclesia divinitus fuisse institutum ut in fide haberetur firmitas. A magisterio ergo ecclesiastico et quid sit credendum et quid sit reiiciendum addiscere debemus.

Dein illius solius est nobis credenda proponere, quem Christus depositarium constituit suae doctrinae et cui soli officium eam aliis annuntiandi contulit. Atqui solos apostolos eorumque successores Christus suae doctrinae constituit depositarios; eis solis dixit: „Omnia, quaecumque audivi a Patre, nota feci vobis.“<sup>2)</sup> Et: „Paracletus autem Spiritus Sanctus . . . ille vos docebit omnia et suggeret omnia, quaecumque dixero vobis.“<sup>3)</sup> Eos etiam solos misit dicens: „Docete omnes gentes . . . praedicate Evangelium omni creaturae.“ *Ergo a solis apostolis eorumque successoribus, quae credenda sunt, accipere possumus.*

Denique scribit apostolus ad Galatas: „sed licet nos, aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.“<sup>4)</sup> Quibus verbis diserte constat, ecclesiastici magisterii solius esse evangelicam tradere doctrinam. *Sola igitur ecclesiastici magisterii praedicationis definitio est proxima regula fidei.*

Insuper *ss. Patres* auctoritatem et praedicationem ecclesiae statuunt tamquam unicum credendi normam, a qua dissentire omnino nefas est. „Si quis, inquit *S. Ignatius*, ambulat in aliena doctrina, is non assentitur passioni.“<sup>5)</sup> *S. Irenaeus*: „Ecclesiae praedicationis firma et vera, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur.“<sup>6)</sup> Celebre est illud *Augustini*: „ego evangelio non crederem, nisi me ecclesiae catholicae commoveret auctoritas.“<sup>7)</sup>

1) Eph. 4, 11. 14. — 2) Jo. 15, 15. — 3) Jo. 14, 26. — 4) Gal. 1, 18. — 5) ad Philad. — 6) Iren. adv. haeres. c. 20. — 7) Cont. Epist. fund. c. 5.



*Ratio* quoque talem proximam regulam fidei postulat, ut per eam omnes et omni tempore omnia, quae credenda sunt, certo et absque periculo erroris cognoscere valeant. Atqui huiusmodi regula est solius ecclesiae vivum magisterium. Nam ecclesiae praedicationem omnes, docti et indocti audire possunt. Nisi ecclesia doctrinam Christi ubique terrarum praedicaret et quidem authentice et auctoritative, quomodo edoceri possent indocti, qui legere nesciunt, vel homines occupati multis laboribus et obligationibus status, quibus deest tempus inquirendi et investigandi, ubi sit et quatenam sit vera doctrina Christi, vel quis controversias exortas definitive componeret, ita ut vera doctrina cum certitudine cognosci posset? Brevi actum esset de fidei firmitate atque de fidei unitate, ita ut Christus iterum dicendus esset ecclesiae suae in necessariis defuisse.

### 3. *De obiecto magisterii.*

Sua sponte exurgit quaestio, *in quibusnam doctrinis* magisterium ecclesiae ex institutione divina hominibus tamquam norma credendi et infallibilis regula fidei constitutum sit. Responsum desumitur ex definitione magisterii, quod diximus ius et officium, quibus ecclesia constituitur hominum magistra in ordine ad vitam aeternam. Ut vero homines vitam aeternam consequantur, ab ecclesia depositum sancte custodiri, fideliter exponi et ita proponi debet, ut homines in vera fidei professione ad aeternam perveniant haereditatem.

Inde absque magna difficultate deducitur, quatenam capita doctrinae sint iure divino obiectum ecclesiastici magisterii. Dicendum est: *omnes veritates, quae vel ad fidei depositum pertinent, vel aliquam cum eo connexionem habent, vel quae necessariae aut utiles sunt, ut fidei depositum sancte possit custodiri et fideliter exponi, neve animae in fide et moribus ullum patiantur detrimentum.* Christus enim ecclesiae dedit munus custodiendi fidem et salvandi animas, per consequens illi media quoque his muneribus obeundis necessaria vel utilia concedere debuit.



Si ulterius progredientes objecto magisterii ecclesiastici determinando insistimus, in primis confiteri oportet, *omnes scientias omnesque veritates aliquo modo ad hunc finem ecclesiae conferre, ideoque omnes scientias omnesque veritates, alias licet alio modo, ecclesiasticae auctoritati subiici.* Quae conclusio summi momenti est eo quod rationalistae et homines liberalismum profitentes scientias in indaganda veritate ab ecclesiastico magisterio prorsus independentes proclamant. Maioris claritatis causa descendamus ad singularia.

In primis sunt veritates, quae *directe revelationis depositum constituunt*, sc. dogmata fidei et morum, quae in revelatione aperte continentur. Cum ecclesiae et nemini alii fidei depositum a Christo Domino sit creditum, inde patet, relate ad has veritates ecclesiae plenum et exclusivum competere magisterium. Potest et debet ecclesia iure proprio et exclusivo veritates revelatas proponere et definire, errores contrarios damnare, aliis officium praedicandi committere vel denegare, scholas theologicas instituere et studia theologica dirigere.

Aliae sunt veritates, quae etsi in revelatione non continentur, *summam tamen et intimam cum dogmate vel morum regula connexionem habent*, v. gr. scientiae philosophicae, quarum recta institutio ad dogmatum intelligentiam et expositionem multum confert, quarum vero depravata institutio ad fidei interitum et morum corruptelam directe perducit. Inde sequitur ius ecclesiae nativum et proprium, licet non exclusivum, scholas philosophicas instituendi et universim studiis philosophicis invigilandi, ne a recto tramite aberrant.

Deinde sunt veritates, quae etsi cum fide aut moribus tam intimam connexionem prouti veritates philosophicae non habent, *aliquo tamen modo fidei illustrandae aut defendendae necessariae vel saltem summopere utiles sunt*; cuiusmodi sunt scientiae naturales, v. gr. ius civile, astronomia, physica, geologia, linguistica, studia litteraria etc. Inde sequitur ius ecclesiae instituendi gymnasia, in quibus scientiae naturales quaecunque excoluntur, et ius quoque nativum invigilandi omnibus institutis, in quibus disciplinae naturales traduntur, ne in eis aliquid contra fidem vel mores moveatur.



Existunt *artes liberales et artes mechanicae*, quae etsi per se quoad fidem et mores sunt indifferentes, ut architectura, statuaria, musica etc., ad fidem tamen et ad cultum divinum ordinari, vel etiam ad bonos mores depravandos multum conferre possunt; ita v. gr. ex picturis obscoenis morum corruptela progignitur, ex piis autem excitatur devotio. Inde sequitur ecclesiae ius nativum iis artibus utendi easque tradendi ob finem spiritualem, deinde ius propria auctoritate instituta artistica vel manualia erigere et universim eiusmodi institutis invigilare, ne eorum occasione fidelium mentes corrumpantur.

Cum a *prima puerorum institutione* plerumque pendeat recta eorum vivendi norma ac proinde eorum salus aeterna, ecclesia, quae saluti omnium invigilare tenetur, nativum ius habet procurandi, ut in scholis popularibus praeter scientias naturales supernaturales quoque tradantur; ius habet erigendi, ne quid in scholis contra fidem vel bonos mores moveatur, et ut arceantur magistri, qui discipulis sunt causa ruinae spiritualis; ac proinde ius habet prohibendi, ne fideles adeant vel scholas impias vel quomodocunque periculosas; denique non potest ecclesiae denegari ius erigendi scholas populares, in quibus pueri fidem et scientias naturales edoceantur.

Hisce ea capita doctrinae ecclesiasticae de magisterio divinitus instituto, quae maioris sunt momenti, sufficienter proposita sunt.

## §. 2.

### *De imperio ecclesiae.*

Potestas imperii seu regiminis est ius gubernandi ecclesiam, quatenus est visibilis et externa societas in ordine ad finem spiritualem.

Inde facile erui poterit *extensio* huius potestatis. Extenditur nempe ad exteriorem disciplinam, quae spectat ad cultum exteriorem, ad ritus sacros, ad sacramentorum administrationem, ad psalmodiam, ad electionem et institutionem



ministrorum, ad ieiunia, vota, dies festos, ordines religiosos, ad administrationem bonorum temporalium et similia.

Quia vero in nostra dioecesi potestas ecclesiae vel omnino negatur, vel ultra modum restringitur, immo fideles contra exercitium ecclesiasticae potestatis aperte concitari atque ad inobedientiam immo et despectum eiusdem provocari solent, ideo doctrina de imperio ecclesiae divinitus collato uberius evolvatur.

Profiteamur igitur *ecclesiae plenam atque independentem potestatem legislativam, iudiciariam et coactivam esse collatam*, cum sit secundum voluntatem Christi *societas perfecta*.

### 1. De ecclesia ut societate perfecta.

*Societas perfecta est illa, quae est in se completa et in se possidet media sufficientia ad finem suum assequendum*; habere igitur debet finem proprium, secus esset pars alterius societatis; finem, qui fini alterius societatis non est subordinatus, secus ipsa quoque alteri societati esset subordinata; habere debet re vel virtute media ad sui conservationem et ad suum finem consequendum necessaria, nam secus in se completa non esset, sed ab illa societate dependeret, a qua media reciperet; ergo de essentia societatis perfectae est, quod a nulla alia dependeat. Atqui omnes praedictae conditiones in ecclesia Christi verificantur, ergo ut perfecta et independens a Christo fuit instituta.

*Christus enim ecclesiae praesides immediate designavit*, prouti iam demonstravimus, iisque atque eorum successoribus absolutam et ab omni humana potestate independentem dedit auctoritatem. Apostolis solis dixit: „Docete omnes gentes . . . Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis“ . . . et soli Petro dixit: „tibi dabo claves regni coelorum . . . pasce oves meas, pasce agnos meos.“ Immo voluit, ut etiam invitis principibus isthaec potestas exerceatur: „tradent enim vos, inquit, in conciliis et in synagogis vapulabitis et ante praesides et reges stabitis propter me.“<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Marc. 13, 9.



Idipsum probatur ex *constanti praxi ecclesiae*, quae suam independentiam semper vindicavit et quum a principibus saeculi prohiberetur disseminare evangelium vel fideles propriis legibus dirigere, semper cum apostolis solita est dicere: „obedire oportet Deo magis quam hominibus.“ 1)

Et revera, *quomodo ecclesia civili societati subordinata dici potest, cum ipsa sit ordinis superioris, quam civitas civilis*. Ecclesia nimirum est societas *essentialiter supernaturalis* tum *ratione finis*, nam ecclesia procurare debet gloriam Dei per salutem animarum continuando in terris missionem Christi; tum *ratione originis*, utpote a Christo Deo-Homine libere fundata, non autem orta ex iure naturae vel iure positivo humano; tum *ratione principii vitalis intrinseci*, quod est fides, spes et charitas, unde ecclesia animatur et informatur; tum denique *ratione mediorum*, quae ipsi ad finem suum consequendum divinitus data sunt, scilicet potestas ordinis et iurisdictionis, praedicatio verbi divini, sacramentorum dispensatio, cultus divinus, aliaque salutis media. Ergo ecclesia est societas ex omni parte supernaturalis, ideo societatem civilem excellentia et praestantia tanto excedit, quanto aeterna hominis beatitudo quodlibet temporale bonum nobilitate transgreditur.

Ecclesiae *praecellens natura etiam inde manifestatur, quod sit illa corpus Christi mysticum*. Nam Christum esse caput ecclesiae, atque ecclesiam corpus Christi, imprimis a *S. Paulo* saepius inculcatur. Legimus: „Christum dedit caput super omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.“ 2) Et revera, sicut Christus ex Maria Virgine corpus assumpsit, ut in illo et per illud opus redemptionis impleret, ita ecclesiam elegit et assumpsit, ut in ea et per eam opus redemptionis iugiter continuaret. Ecclesia igitur est quaedam Christi extensio et recte corpus eius vocatur. Item in familia sponsa viro tam intime unitur, ut sint duo in carne una, et ipsa fiat quasi viri plenitudo ad familiam augendam et explendam;

1) Act. 5, 29. — 2) Eph. 1, 22. 23.



sed Christus ecclesiam sibi in sponsam assumpsit eamque sibi tam arcte copulavit, ut non duo sed unum sint, sitque ecclesia quasi Christi plenitudo ad generandos indesinenter filios, in quibus ipse vivat et omnia in omnibus adimpleatur. *Ecclesia ergo, corpus Christi, non est aliquid adaequate distinctum a Christo*, sicut nec corpus humanum a capite adaequate distinctum est, *sed est Christus in plenitudine sua comprehendens in se et Caput Christum et eius membra.*

„Vos autem, ait apostolus, estis corpus Christi et membra de membro.“<sup>1)</sup> Sicut autem in homine caput corpori ideo inseparabiliter est unitum, ut illud regat, diversa membra eodem vitali spiritu in unum compagnet, et omnibus vitam et motum iugiter influat, ita Caput Christus corpori suo ecclesiae ideo inseparabiliter unitur, ut illud regat, eius membra eodem suo spiritu in unum compagnet, vitam supernaturalem et motum gratiae ad operandum indesinenter influat. „Veritatem autem facientes in caritate, ait apostolus, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.“<sup>2)</sup>

Est ergo *ecclesia qua societas omnino supernaturalis et qua corpus Christi mysticum infinite superior societate civili*; sed repugnat societatem superioris ordinis a societate inferioris ordinis pendere. Ergo ecclesia a societate civili est *independens et in se perfecta societas.*

Denique *nefas est dicere, Christum ecclesiae suae non satis providisse.* Atqui si eam per modum perfectae societatis non fundasset, tunc tribus prioribus saeculis et adhuc hodie in regionibus infidelibus et acatholicis eam arbitrio inimicorum reliquisset, in regionibus vero catholicis autem illi, qui suprema civili potestate pollent, supremam etiam haberent potestatem ecclesiasticam et quot civiles societates,

1) I. Cor. 12, 27. — 2) Eph. 4, 15. 16.



totidem essent in ecclesia capita, ac proinde de ecclesiae unitate omnino actum foret.

Manifestum est ergo, *ecclesiam esse societatem in se omnino perfectam, unde necessario sequitur, eam perfectam et plena potestate regiminis esse instructam.*

## 2. De potestate legislativa.

*Jure divino pollet ecclesia potestate legislativa, vi cuius praescribere potest per leges obligatorias omni media ad finem eiusdem ordinata.*

*Christus dixit apostolis: „quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.<sup>1)</sup> Jamvero his verbis constat Christum ecclesiae dedisse potestatem legislativam plenam et independentem. Etenim a) ligare et solvere necessario intelligi debent de vinculo morali, quod non potest esse nisi lex iusta et idem significant ac ferre legem aut abrogare; b) hanc potestatem esse plenam et ab omni humana potestate independentem, ex eo manifestum est, quod quidquid ligat aut solvit ecclesia, in coelis a Deo ratum habetur.*

Dein Christus dixit Petro: „tibi dabo claves regni coelorum“<sup>2)</sup>, id est regiam potestatem, quia apud Hebraeos claves erant regiae potestatis insignia; sed regia potestas imprimis potestatem legislativam includit.

Et re quidem vera *apostoli* potestate legislativa usi sunt. In concilio hierosolymitano decernunt, ut fideles ab immolatis simulacrorum sese absterneant.<sup>3)</sup> S. Paulus prohibet, ne mulieres capite aperto in ecclesia orent;<sup>4)</sup> leges fert de conditionibus et ad ordinandum episcopum<sup>5)</sup> et ad eligendas viduas<sup>6)</sup>, etc. quae omnia ad disciplinam et res exteriores pertinent. Leges autem ab apostolis latae inter fideles statim propagatae et observatae sunt teste apostolo: „Paulus . . .

<sup>1)</sup> Matth. 18, 18. — <sup>2)</sup> Matth. 16, 19. — <sup>3)</sup> Act. 15, 29. — <sup>4)</sup> I. Cor. 11, 5. — <sup>5)</sup> I. Tim. 3, 1. sqq. — <sup>6)</sup> I. Tim. 5, 1. sqq.



perambulabat Syriam et Ciliciam confirmans ecclesiam, praecipiens custodire praecepta apostolorum et seniorum.“ 1)

Potestas ecclesiae leges ferendi propria auctoritate necessario derivatur *ex eiusdem natura qua societate in se completa et perfecta*; nam testibus omnibus philosophis societatis perfectae ea est natura, ut iure proprio et independenter ab omni alia iurisdictione ea omnia praecipere possit, quae ad societatis finem obtinendum requiruntur, dummodo haec societatis alterius iura nativa non laedant. Cum vero externa ecclesiae disciplina resque externae ecclesiae omnes ad eius finem ordinentur, de his potestate propria leges ferre potest.

### 3. De potestate iudiciaria.

Etiam *potestas iudiciaria*, sc. facultas iudicandi auctoritative de vero sensu legum et de sociorum actionibus quoad leges, *ecclesiae divinitus competit*.

In *Scriptura* legimus: „Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum . . . , quod si non audierit eos, dic ecclesiae; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.“ 2) Hisce Christi verbis potestas ecclesiae iudiciaria manifeste asseritur: enimvero reus, accusator, iudex, sententia et poena indicantur.

S. Paulus ad Timotheum scribit: „Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus.“ 3) Potest ergo episcopus, qui in casu est Timotheus, in foro externo testes audire, accusationem contra reum accipere, ac proinde etiam sententiam auctoritative pronuntiare. Quibus omnibus vera iudiciaria potestas denotatur.

Et revera *apostoli* iudiciaria potestate in fideles usi sunt. B. Petrus iudicium tulit de Anania et Saphira; 4) b. Paulus Hymenaeum et Alexandrum iudicavit 5) nec non incestuosum Corinthium 6) et ait: „quid mihi de iis, qui foris sunt iudicare?“ 7) Ergo de iis, qui intus sunt, iudicare potuit.

1) Act. 15. 41. — 2) Matth. 18, 15. 17. — 3) I. Tim. 5, 19. —

4) Act. 5. — 5) I. Tim. 1, 20. — 6) I. Cor. 5, 3. — 7) ib. 12.



Idipsum *derivatur ex potestate legislativa* ecclesiae divinitus collata, quae, nisi coniunctam habeat iudiciariam, inanis est et inutilis. Nam spectata hominum indole diversa, nisi praesto esset potestas, quae legem authentice interpretari valeat, dissensiones circa genuinum legis sensum mox orientur, spectato vero passionum aestu, nisi potestas actiones examinandi adesset, leges a multis non observarentur: quae quidem ad potestatem iudiciariam spectant. Ergo Christus de his providisse dicendus est, nam secus ecclesiae potestatem legislativam incassum contulisset.

#### 4. *De potestate coactiva.*

Praeter potestatem legislativam et iudiciariam *Christus etiam potestatem coactivam*, id est ius delinquentes coercendi et puniendi *ecclesiae suae contulit*.

Id patet ex *verbis Christi* supra citatis: „sit tibi sicut ethnicus et publicanus“. Ergo ecclesia damnificatorem per excommunicationem ad damni resartionem compellere potest.

*Petrus* in personam Ananiae et Saphirae uxoris hac usus est potestate, in quos mortis sententiam promulgavit, quam Deus ratam habuit et executioni mandavit. Item *Paulus* Elimam magum ad tempus luce corporali privavit; illum quoque fornicatorem Corinthium in carnis interitum tradidit satanae, ut eius spiritus salvus esset. B. Paulus Corinthiis scripsit: „Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?“<sup>1)</sup> Quibus verbis satis expresse coactivam potestatem supponit se habere.

*Absque potestate coactiva vana esset potestas legislativa et iudiciaria a Christo ecclesiae collata*; unicuique enim integrum esset leges ecclesiasticas transgredi et iudicia ecclesiae contemnere: ergo hac quoque potestate Christus ecclesiam munire debuit.

Insuper dicendum, *potestatem ecclesiae coactivam ad poenas quoque temporales et corporales extendi*. Quod ex *verbis Christi et agendi ratione apostolorum* omnino patet.

<sup>1)</sup> I. Cor. 4, 21.



Jesus Christus iubet hominem, qui ecclesiam non audierit, habendum esse ut publicanum et ethnicum, proinde publice infamem. S. Paulus incestuosum Corinthium tradidit satanae in interitum carnis, et ad Thessalonicenses scribens statuit de christiano inobediente: „hunc notate et ne commisceamini cum illo, ut confundatur“; <sup>1)</sup> et Timotheum monet, ut peccatores publice arguat: „peccantes coram omnibus argue“.<sup>2)</sup> Sed infamia, confusio, publica castigatio, interitus carnis inter poenas temporales et corporales computanda sunt. Eodem sensu ecclesia ab antiquissimis temporibus agere consuevit, peccatoresque graviorum criminum reos externis poenis: carcere, verberibus, exilio, bonorum privatione mulctavit.

Quod ipsa *ratione* probatur. Ut nimirum homines efficaciter a malo deterreantur, ecclesia ea media adhibere potest et debet, quibus, spectatis hominum affectibus, hunc finem obtinere valet. Sed multi privatione bonorum temporalium magis quam privatione bonorum spiritualium tanguntur. Potest igitur ecclesia poenas temporales et corporales irrogare.

### §. 3.

#### **Conclusio.**

Explanata natura potestatis ecclesiae a Christo Deo-Homine collata, tum ea, quae est magisterii, tum ea, quae est imperii, facile colligitur, quanta sit insania eorum, qui huic potestati resistunt, illam respuunt, hominesque contra illam excitare ab illaque avertere conantur. Resistunt ordinationi a Christo provenienti, proinde rebelles existunt et rebellionem movent contra ipsum Christum, filium Dei vivi, unicum totius mundi Redemptorem.

## Cap. IV.

### **De ecclesiae indefectibilitate.**

Sequentes vestigia Ss. Evangeliorum, ex effatis ipsius Domini, ex assertionibus et agendi modo apostolorum eccle-

<sup>1)</sup> II. Thess. 3, 14. — <sup>2)</sup> I. Tim. 5, 20.



siae non solummodo foundationem et finem, sed eiusdem quoque intrinsecam organizationem et constitutionem cognovimus.

Nunc quaerendum, *an ex voluntate Christi ecclesia eius semper sit duratura et quidem talis, qualem ipse instituit?*

Rationalistae prophetant, ecclesiam mox perituram, vel ipsam iam senuisse et necessitatibus et propensionibus huius saeculi non amplius esse accommodatam, ac proinde huic novam esse substituendam, vel eiusdem constitutionem ad typum omnis societatis esse transformandam.

Nos vero non hostium ecclesiae, sed Christi-Dei voluntatem inquiremus, ut cognoscamus, an ecclesia usque ad finem saeculi absque ulla interruptione existere debeat et quidem ita, ut tam in sua essentia et constitutione, quam in suis proprietatibus immutabilis maneat. Quae *ecclesiae perennis perduratio eius indefectibilitas dicitur.*

Imprimis asserere oportet ecclesiam *secundum intentionem Christi indefectibilem esse in existendo.* Talem iam vaticinia veteris testamenti annuntiant. Legimus: „Parvulus natus est nobis . . . super solium David, et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud . . . amodo et usque in sempiternum“. 1) Deinde apud Daniele: „In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur . . . et ipsum stabit in aeternum“. 2) Atqui regnum Messiae est ecclesia Christi; et Angelus ad Mariam ait: „Dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius: et regnabit in domo Jacob in aeternum et regni eius non erit finis“. 3)

*Verba Salvatoris* eandem ecclesiae perennitatem adhuc clarius annuntiant. Dixit Christus ad Petrum: „Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praevalent adversus eam“; 4) et ad omnes apostolos: „Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi“. 5)

1) Is 9, — 2) Dan. 2, 44. — 3) Luc. 1, 32. — 4) Matth. 16, 18. — 5) Matth. 28, 20.



Eadem persuasio *in ecclesia ipsa* semper vigeat. S. Hieronymus scribit: „Ex quo intelligimus ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti; tentari, non superari“. 1)

Quod ipsa *ratio* postulat. Ecclesia instituta fuit, ut opus redemptionis continuaret; ergo tamdiu perdurare debet, quamdiu opus redemptionis hominibus applicandum est. Cum autem teste S. Petro „non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri“ 2) opus redemptionis usque ad finem saeculi hominibus sit necessarium, etiam ecclesia usque ad finem mundi est perduratúra.

Patet ergo, *ecclesiam indefectibilem esse in existendo*. Sed etiam *in essendo*, id est in sua essentia et constitutione et in suis proprietatibus indefectibilis sit oportet.

Indefectibilitas in essendo sequitur indefectibilitatem in existendo. *Ecclesia, quam Christus perdurare vult, est illa, quam ipse fundavit. Jamvero si ecclesia in sua essentia vel constitutione mutari posset, desineret esse illa, quam Christus fundavit.*

Et revera *a quonam* quoad essentiam et constitutionem socialem *mutari posset? Nec ab homine, nec a Deo*. Non potest mutari *ab homine*, nam probavimus constitutionem eius essentialem procedere immediate e voluntate Christi Dei, esse ergo iuris positivo-divini. Quod autem est de iure positivo divino, ab homine immutari non potest.

Sed *neque a Deo immutari* potest. Potuit quidem Deus ecclesiam non condere vel aliam illi dare constitutionem; ast postquam illam fundavit in tali forma, cum tali determinata constitutione, nulla adiecta promissione de nova ecclesia postea fundanda, e contra expressa firma voluntate ecclesiam tunc fundatam perpetuo conservandi, profecto non potest Deus ecclesiae essentiam et constitutionem immutare, quin ipse mutetur, quod repugnat.

1) Hieron. in Amos. l. 3. c. 9. — 2) Act. 4, 12.



Talis *immutabilitas etiam quoad proprietates essentialis praedicari* debet. Nam si quoad proprietates essentielles mutaretur, mutata esset etiam quoad essentiam. Sed ecclesia in essentia est prorsus immutabilis, ergo etiam in suis proprietatibus. Dein, cum vera ecclesia ex proprietatibus cognosci debeat ut vera ecclesia Christi, tunc mutatis istis proprietatibus cognosci amplius non posset ut vera ecclesia Christi et actum esset de hominum salute.

Ergo dicendum est, *ecclesiam ex voluntate Christi esse omnino indefectibilem*. Respui quoque debet sententia, ac si *ecclesia senuisset*. *Non senuit, nec senescet ecclesia*, quam Christus iugi vitae et gratiarum influxu vivificat, regit et perenni iuventute conservat, ut cuiusvis aetatis necessitatibus non solum spiritualibus, sed et temporalibus opportuna adhibere valeat remedia, prouti propriis oculis cernimus ecclesiam unicam esse, quae resistere possit liberalismo et socialismo et afferre medelam vulneribus, ab utroque humano generi inflictis. Ecclesia non veterascit, sed veteraverunt societates, quae suave Christi iugum abiecerunt, „transgressae sunt leges, mutaverunt ius . . . idcirco maledictio vorabit terram“. 1) Quapropter calamitates, quibus hodiernae obruuntur societates, non ideo existunt, quia ecclesia eis medendis est impotens, sed quia eius salutaria remedia contemnuntur et reiiciuntur.

## Cap. V.

### De infallibilitate ecclesiae.

*Ecclesiae infallibilitas* in nostra dioecesi saepius irridebatur et quoad extensionem omnino false exponebatur. Propterea haec quoque ecclesiae proprietas uberius explananda est et quidem *tum quoad existentiam, tum quoad obiectum*.

---

1) Is. 24, 6.



## §. 1.

***De dono infallibilitatis.***

Ex ecclesiae indefectibilitate necessario sequitur, eam neque in doctrina deficere posse, cum iam non esset ecclesia Christi, sed „synagoga satanae“. 1) Ecclesia ergo universaliter sumpta, prouti complectitur populum et pastores, errare non potest in credendo, nam si erraret, excideret ex sua immutabilitate et dignitate atque desineret esse verum salutis medium. Cum vero ecclesia doctrinam suam accipiat a magisterio divinitus instituto ac proinde ab ipso, si erraret, in errorem compelleretur, statuendum est, *huic magisterio Christum Dominum donum infallibilitatis necessario concedere debuisse*; nam secus Christus auctor esset erroris.

Immo *Christus fideles directe in errorem compelleret*, si magisterio a se instituto donum infallibilitatis non dedisset. Nam Christus omnes homines sub poena aeternae damnationis obligavit, ut doctrinam magisterii reciperent: „qui crediderit et baptisatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.“ 2) Potuitne Christus sub poena aeternae damnationis fideles obligare ad credendam doctrinam, quae fortasse esset falsa? Hoc absurdum est. Ergo hoc praeceptum supponit magisterium ecclesiasticum esse infallibile.

Insuper in primis in *controversiis de veritatibus revelatis iudex adsit* oportet, qui controversias authentice et definitive dirimat, ut certo scire possimus, quid credendum, quid reiiciendum sit. Jamvero *magisterium ecclesiasticum constitutum est a Christo Domino tamquam iudex in dirimendis quaestionibus fidei*. Sane ergo infallibilitate ab eodem Christo donatum est; nam sine hoc dono controversiae dirimi non possent, fides pessumdaretur, nosque decisionibus absque formidine erroris adhaerere non possemus.

Denique, Christus ecclesiam *eo fine instituit, ut religionem suam puram et intactam conservaret, atque opus suum usque ad finem mundi continuaret*. Si autem ecclesia

1) Apoc. 2. — 2) Marc. 16, 16.



errare posset, tunc a fine suo deficeret, doctrinam Christi depravaret atque opus redemptionis annihilaret, cuius erroris atque depravationis culpa in Christum refundi deberet, qui opus tam ineptum condidisset. Quod absit!

Si *Scripturas* investigamus, statim occurrent testimonia de promissa assistentia divina, qua ecclesia ab errore prae-servaretur. Legimus enim: „Euntes docete omnes gentes... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.“<sup>1)</sup> Mittit Christus homines indoctos et naturaliter incapaces ad docendas omnes gentes; cum per se solos hoc mandatum exequi non possent, promittit illis specialem suam assistentiam. Assistentia autem, quae datur ad doctrinam Christi integram tradendam ea est, qua apostoli ab erroribus immunes sint, nam inducere homines in errores, certe non est tradere doctrinam Christi.

Ad eundem finem promisit Christus apostolis *Spiritum Sanctum*, id est supernaturale quoddam auxilium, quo illustrarentur ad omnem veritatem a Christo revelatam recte cognoscendam et tradendam: „Et ego rogabo Patrem et alium Paraclytum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis... ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis.“<sup>2)</sup> Quibus verbis apostolis promittitur supernaturale donum, quo possint omnem veritatem revelatam intelligere et docere. „Ille testimonium perhibebit de me, ait Christus, et vos testimonium perhibebitis de me.“<sup>3)</sup> Testimonium autem, quod reddunt apostoli virtute doni supernaturalis dati ad recte docendum, non potest esse falsum et mendax; nam Spiritus, quem recipiunt, est Spiritus Sanctus, Spiritus veritatis. Et si ecclesia cum tali Spiritus Sancti assistentia errare posset, error in ipsum Spiritum Sanctum refunderetur.

Qua *confisi assistentia apostoli ut authentici testes et legati doctrinam Christi praedicabant et doctrinae suae absolutam fidem postulabant*. Nos sumus testes horum verborum et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus

1) Matth. 18, 20. — 2) Jo. 14, 16. 17. 26. — 3) Jo. 15, 26. 27.



obedientibus sibi.“ 1) Unde resistere doctrinae apostolorum, est resistere Deo, ut Paulus ad Elymam ait: „O plene omni dolo et omni fallacia, inimice omnis iustitiae, non desinis subvertere vias Domini rectas sc. quaerens avertere a fide. Et nunc ecce manus Domini super te et eris caecus.“ 2) Accipere doctrinam apostolorum est obedire Deo: „Paulus, servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in evangelium Dei . . . per quem (sc. Christum) accepimus gratiam et apostolatam ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius“ 3), i. e. ut fidei obedientiam exigamus inter omnes gentes per auctoritatem Jesu Christi. „Non secundum carnem militamus . . . in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.“ 4) „Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei.“ 5) Quare „licet angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam, quod evangelizavimus vobis, anathema sit.“ 6) Insuper confirmarunt apostoli doctrinam suam multis *miraculis*.

Cum igitur apostoli integrae doctrinae fidem postularent et Deus miraculis ostenderet hanc postulationem esse iustam, sequitur apostolos non potuisse errare in docendo, cum Deus errorem miraculis comprobare non possit.

Certum ergo est, ecclesiae docenti datum fuisse donum infallibilitatis, id est specialis assistentia Spiritus Sancti hunc in finem, ut revelationis depositum in ecclesia conservetur integrum et ab omni alteratione immune, ut omnis controversia in rebus fidei et morum definitive componatur et ut fidelibus semper praesto sit regula fidei certa, per quam absque erroris formidine credenda edoceantur.

## §. 2.

### *De obiecto infallibilitatis.*

*Ex fine infallibilitatis determinari potest eiusdem obiectum. Obiectum infallibilitatis tantum patet, in quantum patet*

1) Act. 5, 32. — 2) Act. 13, 10. 11. — 3) Rom. 1, 1. 5. — 4) II. Cor. 10, 4. 6. — 5) I. Thess. 2, 13. — 6) Gal. 1, 8.



*fidei depositum et eius custodiendi officium postulat*, nam ecclesiae est mandatum depositum revelatum custodire, non vero novas revelationes exspectare aut novas doctrinas excogitare.

Duplex obiectum infallibilitatis est distinguendum: *directum et indirectum*.

*Obiectum directum* seu primarium sunt omnia, *quae in revelatione formaliter continentur*, sive sint veritates ordinis supernaturalis, sive naturalis, sive spectant ad dogma, ad mores vel ad cultum, sive sint explicitae vel implicitae revelatae. Nam ad hoc ecclesiae donum infallibilitatis directe concessum est, ut revelationis depositum intactum custodiatur et fideliter proponatur.

Ast dantur et aliae *veritates ordinis naturalis vel facta naturalia, quae licet non sint revelata, tam intimam tamen connexionem cum doctrina revelata vel morum integritate habent, ut sine illis nec dogma nec morum integritas salva subsistere possit*; cuiusmodi sunt v. gr. systemata philosophica, orthodoxia alicuius libri, generalis ecclesiae disciplina. In his diiudicandis ecclesia dono infallibilitatis instructa esse debet, quia secus neque depositum fidei efficaciter custodire et defendere posset, cum depositum fidei per errores quoque ordinis naturalis destrui possit. E. gr. si a philosopho affirmaretur naturalis potentia intellectus ad investigandum omne verum cuiuslibet ordinis, negaretur dogma de mysteriis stricte dictis; vel si philosophus negaret existentiam Dei naturali ratione certo cognosci posse, destrueretur possibilitas fidei supernaturalis. Ergo ecclesia, nisi infallibiliter iudicare posset de veritate ac falsitate talium doctrinarum, impar esset deposito fidei custodiendo et integro tradendo.

Claritatis causa recenseantur *obiecta indirecta* infallibilitatis ecclesiasticae.

1. Infallibilis est ecclesia in *damnandis propositionibus*, quae indirecte et mediate tantum doctrinae revelatae opponuntur, quae non sunt haeretice, sed quibus notae haeresi inferiores inuruntur; nam secus depositum fidei sufficienter custodire non posset.



2. Infallibilis est ecclesia in *disciplina generali*, id est in ferendis legibus ecclesiasticis, quibus homines diriguntur ad Deum recte colendum et ad vitam bene instituendam. Agitur igitur de legibus humanis, non divinis, quia leges divinae ad obiectum directum infallibilitatis pertinent utpote divinitus revelatae.

De his legibus, quae a legitima potestate pro universa ecclesia eduntur, affirmamus, ecclesiam per assistentiam Spiritus Sancti adiuvari, ne unquam statuat leges rectae fidei vel bonis moribus oppositas. Nam si ecclesia pro suprema sua auctoritate omnibus fidelibus aliquid praeciperet contra fidem et bonos mores, iam tota ecclesia practice errorem profiteretur, cum doceret Deum velle, ut omnes agerent id, quod reapse vetat, aut ut ommitterent id, quod Deus praecipit. Error autem practicus non est minor errore theoretico, et per constantem agendi modum homines non minus efficaciter sententiam suam manifestant, quam per verba. Itaque si ecclesia in tali re erraret, succumberet potestati diaboli et omnes promissiones Christi ecclesiae factae effectu frustratae essent.

Ex hac infallibilitate autem *non sequitur, leges ecclesiasticas omnes esse omnium utilissimas et prudentissimas*; nunquam enim rectoribus ecclesiae summus gradus prudentiae promissus est, sed solummodo talis, qui sufficit ad fidem et mores intacta servanda. Neque inde sequitur, leges ecclesiasticas esse immutabiles, cum eadem auctoritas, quae leges statuit, eas abrogare possit et cum mutatio legum propter mutatas circumstantias saepius necessaria evadat.

3. Infallibilis est ecclesia in *approbatione ordinum religiosorum*, nimirum in approbando tali speciali ordine sub determinata sua regula. *Non agitur de iudicio circa honestatem trium votorum*, quia haec a Christo Domino approbata sunt, sed circa honestatem regulae; *neque agitur de iudicio prudentiali*, sc. de iudicio, utrum in talibus adiunctis talem ordinem admittere an reiicere expediat, sed *agitur de iudicio doctrinali*, sc. de iudicio de ordinis honestate et de eius aptitudine ad ducendum homines ad perfectionem.



Quoad hoc iudicium doctrinale omnes theologi unanimiter respondent, ecclesiam esse infallibilem.

Talem assertionem ratio quoque a priori suadet. Pontifex enim, quando ordinem approbat, toti ecclesiae hoc vitae institutum proponit ut viam tutam non virtutis tantum, sed etiam perfectionis acquirendae. Atqui Spiritus Sanctus permittere nequit, ut res mala et peccaminosa pro virtute et perfectione universae ecclesiae a summo pontifice auctoritative proponatur. Ergo in his approbationibus pontifex est infallibilis.

Approbatio haec infallibilis ad totam ecclesiam dirigitur, ita ut nulli iam liceat tale institutum habere pro non sancto et perfectioni contrario. Fieri quidem potest, ut membra alicuius ordinis paulatim a sanctitate deficient, vel ut speciale institutum religiosum per decursum temporum et propter mutatas condiciones fiat inopportunum et ideo merito supprimatur; at nunquam fieri potest, ut ecclesia auctoritative approbet, quod non sit in se sanctum atque perfectioni congruum.

4. Ecclesia est infallibilis in *canonizatione sanctorum*. Canonizatio est ultima et definitiva sententia summi Pontificis, qua servus Dei in ecclesiam triumphantem receptus esse declaratur et omnibus fidelibus colendus proponitur. Qua sententia omnes fideles obligantur, ut illum indubitanter pro Sancto habeant et pro tali, qui publico cultu dignus sit.

Quoad hanc summi Pontificis actionem asserimus, illum non posse errare. Nam secundum communem regulam Pontifices tum ut infallibiles doctores agunt, cum pro suprema sua auctoritate universam ecclesiam ad aliquid tenendum obligant. Atqui hoc fit in canonizatione. Usurpamus verba Suarezii: „Non licet fidelibus dubitare de gloria Sancti canonizati; id enim sub praecisa obligatione praecipiunt Pontifices in ipsa canonizatione; ergo oportet, ut illi praecepto non possit subesse error, alias deficeret Deus in re maxime necessaria ecclesiae, quod est contra providentiam et promissiones eius.“



5. Ecclesia est infallibilis in *diiudicandis factis dogmaticis*. Factum dogmaticum est quodlibet factum cum dogmate connexum per modum conditionis, qua stante dogma nobis stat, qua vero remota, dogma quoad nos cognoscibilitate privatur. Tale factum dogmaticum est v. gr. legitimitas concilii oecumenici, authentia sacrorum librorum. Si quaeritur: an concilium Vaticanum fuerit oecumenicum? en factum humanum; sed quia ab isto facto pendet quaestio: an iudicia doctrinalia Vaticani sint de fide, ideo factum cum iure intime connectitur, qua de causa dogmaticum vocatur.

Plura ennumerantur facta dogmatica; inter quae saepe occurrit *quaestio de sensu alicuius libri*: num in certo libro certa doctrina orthodoxa vel heterodoxa contineatur. Ecclesia *non iudicat de sensu pure subiectivo*, quem auctor libri forte habuit in mente, *sed de sensu obiectivo et obvio*, qui verbis exprimitur, quem ergo auctor intendere debuit, si prudens et sciens locutus est. Asserimus, ecclesiam posse infallibile iudicium ferre, quem sensum verba alicuius libri prae se ferant et utrum hic sensus sit orthodoxus an heterodoxus.

Talis infallibilitas ecclesiae adiudicari necessario debet, quia depositum fidei efficaciter integrum servare et fideles ab errore efficaciter tueri non posset, si quilibet posset impune falsas doctrinas spargere et iudicium ecclesiae effugere eo, quod auctoritas ecclesiastica non recte intellexerit sensum libri sui.

Inde sequitur definitionibus ecclesiae semper assensum esse praestandum atque in errore versari, quicumque ab ecclesia dissentiret.

## Cap. VI.

### De romano Pontifice.

Non desunt in nostra dioecesi, qui in romanos Pontifices invehuntur, quod primatum in ecclesia usurpassent et quidem ducti indomita dominandi cupidine. Ideo veritas christiana de *romani Pontificis primatu et infallibilitate* exponatur.



## § 1.

***De perpetuitate primatus Petri.***

Beato Petro primatum iurisdictionis in universam ecclesiam a Christo Jesu collatum fuisse iam diximus. Quaeritur, *utrum Christus voluerit, b. Petrum habere in primatu successores.* Et sine dubio!

Ex *institutione Christi primatus ad essentialem ecclesiae constitutionem pertinet*, ergo cum ecclesia usque ad finem mundi perdurare debet. Primatus est fundamentum ecclesiae atque petra angularis, ergo tamdiu perdurare debet ut ecclesia, id est in perpetuum. Primatus principium est et centrum ecclesiasticae unitatis, ergo cum ecclesia perenniter perseverare debet. Christus Petro commisit omnes agnos et oves gregis sui, id est omnes fideles pascendos, ergo prouti grex Christi, ita et pastor eius nunquam deficere potest. Denique potestas universalis non fuit Petro propter ipsum collata, sed propter ecclesiam ab ipso regendam, ergo potestas haec transire debuit in omnes successores Petri, ut ecclesia usque ad finem saeculi recte et rite regi possit.

## §. 2.

***De romano Pontifice ut successore Petri.***

Stabilita veritate, Christum primatum perennem instituisse, manifestum est, *hunc primatum in romano Pontifice, successore b. Petri, perseverare.* Nam aut romanus Pontifex est primas, aut nemo; atqui aliquis debet esse primas, ergo est romanus Pontifex, nam nunquam alius episcopus praeter romanum Pontificem in ecclesia agnitus est successor Petri.

Et revera, in universa historia christiana romanus Pontifex habetur ut centrum omnium ecclesiarum et fidelium. Ast si catholicum interrogas, cur romanus Pontifex ut caput et centrum ecclesiae habeatur, accipies responsum, eum esse successorem b. Petri, quem caput ecclesiae Christus instituit, Petri, qui primatus iura moriens in sede romana fixit. Haeretici et schismatici fatere debent, eam semper fuisse catho-



licis rationem, cur romanum pontificem ut caput ecclesiae haberent.

Hanc persuasionem in ecclesia saeculo V. viguisse, omnes concedunt. Immo etiam quoad saeculum IV. admittunt generatim omnes, de romano Petri episcopatu sententiam fuisse communem. Consentunt quoque omnes ecclesiae orientales. Idem dici debet de saeculo III. et II. usque ad testimonium S. Ignatii et S. Clementis. *In omnibus testimoniis simpliciter, tamquam veritas omnibus nota atque inconcussa profertur veritas de primatu romani Pontificis eo, quod sit successor S. Petri, qui Romae obiit.*

Inde concludimus: *Si alicuius facti perennis, universalis, summi momenti ratio reddi nequit, nisi agnita ei affirmata veritate alterius facti, quod fundamentum sit illius: tunc non minus nota ac semper praesens est testificatio huius facti originarii et causalis, quam veritas ipsius facti consequentis. Jam vero tota vita et evolutio ecclesiae romano-catholicae et praeeminens influxus ecclesiae romanae factum est universale, plane ingens et evidens.*

Poro per XV. saecula ut facti huius solemniter et ingentis fundamentum fuit agnitus et admissus ab omnibus Petri episcopatus romanus. Ex hoc episcopatu doctores ecclesiae universim eius constitutionem et magistralem auctoritatem explicabant atque contra haereticos et schismaticos vindicabant.

Haeretici vero et schismatici nunquam ausi sunt hoc factum ipsis tamquam fundamentale oppositum denegare vel in dubium vocare, sed aliis argutiis suos errores tegere studuerunt.

Ergo eadem certitudine, qua constat de ipsa ecclesiae romano-catholicae vita et evolutione splendida, quae nititur Petri episcopatu romano ut facto causali, constat etiam de ipso hoc facto. Et sicuti universali persuasionem per quindecim saecula ille Petri episcopatus creditus fuit, ac vel ab ipsis haereticis et schismaticis admissus, ita sanae rationi omnino repugnat, post illa saecula hoc factum negare vel in dubium vocare.



Oportet adhuc advertere, huius *facti veritatem certam esse certitudine infallibilitatis*. Nam hoc factum cum dogmate fidei de primatu romani pontificis ita arcte cohaeret, ut hoc negato etiam depositum fidei in discrimen vocetur. Profitemur enim ut fidei veritatem, romanos episcopos totius ecclesiae esse primates et quidem, quia sunt successores b. Petri in cathedra romana. Est ergo factum dogmaticum, in quo asserendo ecclesia infallibilitate pollet.

§. 3.

***De infallibilitate romani Pontificis.***

Romanus Pontifex, *cum ex cathedra loquitur* i. e. pro suprema sua auctoritate ad universam ecclesiam in rebus fidei et morum, *eadem infallibilitate pollet, qua ecclesia docens.*

Ita ecclesia infallibilis in concilio Vaticano definivit, nos autem libentissime credimus. Et revera, si *primatus est fundamentum ecclesiae*, quo ecclesia solidatur contra omnes impugnationes infernarum potestatum, per primatum ecclesia in primis in vera fide servanda est. Ergo summus Pontifex ex cathedra loquens infallibilis sit necesse est. *Fac enim romanum Pontificem pro suprema sua auctoritate falsam doctrinam ecclesiae credendam et tenendam proponere*: aut ecclesia *obedit*, et iam cum Pontifice errante in errorem labitur et superata est per portas adversas; aut *non obedit*, et iam destructa est unitas et hierarchica subordinatio a Domino instituta.

Similiter necessitas infallibilitatis deduci potest ex eo, quod Petrus eiusque successores habeant *claves regni*, i. e. praeter alias potestates etiam potestatem docendi in summo gradu, vel ex eo, quod ipsis concrediti sunt *pascendi agni et oves*

Ideo haud mirandum hanc infallibilitatem in ecclesia a patribus et conciliis agnitam, nec non a pontificibus ipsis sibi attributam fuisse. Concilium autem Vaticanum contra varia dubia post obscuracionem huius veritatis inductam



solemniter definivit: „Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum pontificem cum ex cathedra loquitur, i. e. cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in b. Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, ideoque eiusmodi romani pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu ecclesiae, irreformabiles esse.“<sup>1)</sup>

Verba, quibus pontifex doctrinam proponit, talia sint oportet, ut prudentibus sine dubio certum sit pontificem velle obligare universam ecclesiam ad doctrinam illam tenendam. Quamdiu inter prudentes dubium manet, utrum pontifex voluerit ex cathedra definire, nec ne, tam diu vi talis doctrinae pontificiae fidelibus obligatio certa imponi nequit.

Si vero constat, pontificem voluisse totam ecclesiam obligare, fidelibus inquirendum non est, utrum pontifex cum debita diligentia rem investigaverit et rationes omnes bene perspexerit, cum non ob rationes scientificas, sed ob assistentiam Spiritus Sancti definitio pontificis sit infallibilis et absolutam obedientiam postulat.

#### §. 4.

### ***De congregationibus pontificiis.***

Quia a variis congregationibus vi delegationis ex parte summi pontificis varia decreta doctrinalia eduntur, probe declarare oportet, quali sint assensu recipienda. Agitur autem imprimis de decretis congregationis sanctissimi officii et congregationis indicis.

Certum est *haec decreta congregationum non esse infallibilia*; nam licet edantur auctoritate vel nomine summi pontificis, vel relatione habita cum summo pontifice, vel licet

<sup>1)</sup> Vat. de ecclesia cap. IV. n. 5.



summus pontifex illa approbaverit vel promulgationem eorum ordinaverit, nihilominus manent decreta congregationis, inde infallibilia non sunt.

Ast licet non sint infallibilia, *summa tamen gaudent auctoritate et exigunt assensum non quidem fidei divinae, sed verum internum*. Sunt autem varii gradus assensus interni. Soli Deo revelanti adhaerendum est assensu super omnia firmissimo, attamen hominibus assentimus pro gradu auctoritatis, qui singulis convenit. Jamvero congregationes sunt tribunalia summae auctoritatis religiosae in ecclesia. Ideo eorum decretis assentiendum est assensu religioso, seu assensu, cuius motivum formale est suprema auctoritas religiosa, licet non infallibilis. Et revera vix unquam decretum aliquod erroneum fuit repertum et quidem nunquam tempore, quo fuit editum, sed tempore posteriori; deinde decreta eduntur post seriam discussionem factam a viris probatis et doctis; deinde in illis continetur traditio ecclesiae romanae: denique ob intimam cum summo pontifice connexionem atque ob valorem pro universa ecclesia absque dubio speciali Spiritus Sancti adiutorio gaudent.

Quia autem congregationes non suppeditant argumentum absolute certum pro aliqua doctrina, ideo in rationes doctrinae inquiri potest, respective debet. Hoc enim modo fiet, ut aut doctrina, de qua agitur, paulatim a tota ecclesia recipiatur et ita ad statum infallibilitatis evehatur, aut paulatim error detegatur. Ubi primum apparent motiva sufficientia dubitandi, prudenter suspenditur assensus, sed quamdiu talia motiva non apparent, sufficit auctoritas congregationum ad assensum imperandum.

Haec applicari possunt etiam *ad decreta summi pontificis, quae non pro suprema sua auctoritate emittit*. Romanus pontifex potest diversis modis doctrinam tractare: potest mere ut doctor privatus librum conscribere eumque eodem modo disputationi sapientium tradere, quo quilibet alius theologus; maiori auctoritate utitur pontifex, cum conciones aut catecheses habet, quia ad munus episcopale pertinet doctrinam Christi praedicare; maiori etiam aucto-



ritate utitur, cum e. g. ab episcopo de re dubia interrogatus ex officio supremi pastoris respondet, at non pro tota plenitudine auctoritatis ad obligandam totam ecclesiam; immo etiamsi pontifex encyclicas mittit ad universam ecclesiam in iisque quaestiones doctrinales tractat, nequaquam censendus est velle omnes eiusmodi quaestiones dogmatice definire, sed haec intentio definiendi ex ipsis verbis debet indubie manifestari.

Inde apparet, qua cum *pietate recipiendae sint litterae encyclicae summi pontificis, nec non decreta sacrarum congregationum romanarum; nam obedientia intellectus multo latius patet, quam sphaera fidei divinae et infallibilis certitudinis.*

## Cap. VII. <sup>1)</sup>

### De unitate ecclesiae.

Veritates de ecclesia Christi, de eius constitutione, natura et proprietatibus protulimus. Coronidis instar *de unitate ecclesiae*, quam divinus auctor intendit, sermo habeatur, ut supernaturalis eius pulchritudo magis adhuc nobis innotescat. Hanc *unitatem tum fidei tum regiminis eiusque principium formale* pulcherrime nobis descripsit ipse papa Leo XIII. in sua encyclica „Satis cognitum“ de die 29. junii 1896, unde nunc omnem doctrinam carpere volumus.

#### §. 1.

#### *De unitate fidei.*

*Christus ecclesiae unitatem intendit*, „ut quotquot in ecclesia futuri essent, certissimis vinculis sociati tenerentur, ita prorsus, ut unam gentem, unum regnum, corpus unum efficerent“. Quam voluntatem Christus propinqua morte manifestavit „Patrem adprecatus: „Non pro eis rogo tantum,

<sup>1)</sup> Encycl. Leonis Pp. XIII. Satis cognitum.



sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me . . . ut et ipsi in nobis unum sint . . . ut sint consummati in unum“. 1)

### 1. De fundamento unitatis.

*Fundamentum vero talis unitatis est internus consensus mentium*, „ex quo conspiratio voluntatum et agendorum similitudo natura gignitur“. Ast qui est fons talis consensus? Unitas fidei, quam Christus pro divinitate sui consilii in ecclesia sua esse iussit et qua potissimum homo iungitur Deo. „Unus Dominus, una fides, unum baptisma:“ 2) „videlicet sicut unus Dominus et baptisma unum, ita omnium christianorum, qui ubique sunt, unam esse fidem oportet. Itaque Paulus apostolus christianos, ut idem sentiant omnes, effugiantque opinionum dissidia non rogat tantum, sed flagitat ac plane obsecrat: „Obsecro autem vos, fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia“. 3) Quae loca sane non indigent interprete . . . Ceteroqui unam esse fidem debere, qui se profitentur christianos, vulgo assentiuntur.“

„Illud potius maximi momenti ac prorsus necessarium, in quo multi errore falluntur, internoscere, quae sit istius species et forma unitatis.“

### 2. De forma unitatis.

Quaestio de *forma unitatis* „non opinatione aut coniectura, sed scientia rei gestae“ dirimi debet; inquirendum est, „qualem in fide unitatem Jesus Christus esse praeceperit“.

Hanc *unitatem in coelesti sua doctrina Christus assequi non potuisset*, „si hominum ingenio“ *illam reliquisset*. Nam hominibus relicta doctrina „in varias incideret atque inter se differentes interpretationes: idque non modo propter ipsius vim ac mysteria, sed etiam propter humani ingenii varietatem et perturbationem cupiditatum, quae in studia

1) Jo. 17, 20 21. 23. — 2) Eph. 4, 5. — 3) I. Cor. 1, 10.



contraria abire solent.“ Tunc dissoluta unitate sentiendi necessario nascerentur „controversiae, dissidia, contentiones“, prouti iam a primordiis ecclesiae observatur. „De haereticis illud scribit Irenaeus: „Scripturas quidem confitentur, interpretationes vero convertunt.“<sup>1)</sup>

„Ad coniungendas igitur mentes, ad efficiendam tuendamque concordiam sententiarum . . . , omnino erat alio quodam principio opus. Id exigit sapientia: neque enim Deus unam esse fidem velle potuit, nisi conservandae unitatis rationem quandam idoneam providisset.“ Ideo iterum *ad Christum recurrere debemus ex eoque sciscitari, quid ad unitatem fidei servandam statuerit.*

Ergo, quid Jesus statuit? „Jesus Christus *divinitatem divinamque legationem suam miraculorum virtute comprobat*: erudire verbo multitudinem insistit, omninoque iubet, ut sibi fides docenti adiungatur, hinc praemiis, illinc poenis propositis sempiternis. „Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.<sup>2)</sup> Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.<sup>3)</sup> Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite.“<sup>4)</sup> Quaecumque praecipit, eâdem auctoritate praecipit: in exigendo mentis assensu nihil secernit.“

„Eorum igitur, qui Jesum audissent, si adipisci salutem vellent, officium fuit non modo doctrinam eius accipere univ-erse, sed tota mente assentiri singulis rebus, quae ipse tradidisset: illud enim repugnat, fidem vel una in re non adhiberi Deo.“

Rediens in coelum *apostolos misit in mundum eâdem auctoritate*, qua ipse a Patre missus fuerat: „Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes . . . docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.“<sup>5)</sup> Item dixit salvos fore, qui apostolis paruis-ent, qui non paruis-ent interituros: „Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui non crediderit, condemnabitur.“<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Lib. III. cap. 12. n. 12. — <sup>2)</sup> Jo. 10, 37. — <sup>3)</sup> Ibid. 15, 24. —

<sup>4)</sup> Ibid. 10, 38. — <sup>5)</sup> Matth. 28, 18. sqq. — <sup>6)</sup> Marc. 16, 16.



Cum vero prudentiae divinae maxime congruat, ut muneri, praesertim magno et excellenti, vires quoque adiungat, unde liceat illo munere rite fungi, „idcirco Jesus Christus missurum se ad discipulos suos *Spiritum veritatis* pollicitus est, eumque in ipsis perpetuo mansurum: „Si autem abiero, mittam eum ad vos . . . Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. 1) Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum“. 2) Hinc doctrinam apostolorum religiose accipi sancteque servari perinde imperat ac suam: „Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit“. 3) Quamobrem *apostoli a Jesu Christo legati sunt non secus ac ipse legatus est a Patre.*“

Ideo prouti apostoli et discipuli audire debuerunt et acceptare verbum Jesu Christi, „ita *pariter fidem adhibere apostolis debuerant*, quoscumque ipsi ex mandato divino docuissent. Ergo apostolorum vel unum repudiare doctrinae praeceptum plane non plus licuit, quam de ipsius Christi doctrina reiecisisse quidquam“.

Et revera apostoli ubique gentium evangelium praedicabant „*seseque ubique ut ab ipso Jesu legatos perhibebant.* „Per quem accepimus gratiam et apostolatam ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius“; 4) divinamque eorum legationem passim *Deus per prodigia* in aperto ponebat: „Illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis“. 5) Quem vero sermonem? eum utique, qui id omne comprehenderet, quod ipsi ex magistro didicissent: „palam enim aperteque testantur, nihil se eorum posse, quae viderant, quaeque audierant, non loqui.“

Hoc apostolicum munus „*cum personis apostolorum interire non potuit, aut cum tempore labi*, quippe quod et publicum esset et saluti hominum institutum. Apostolis enim mandavit Jesus Christus, ut praedicarent evangelium omni creaturae et portarent nomen eius coram gentibus et regibus.

1) Jo. 16, 7. sqq. — 2) Jo. 14, 16. 17. — 3) Luc. 10, 16. — 4) Rom. 1, 5. — 5) Marc. 16, 20.



Atque in tanti perfunctione muneris adfore se pollicitus eis est, idque non ad aliquot annos vel aetates, sed in omne tempus usque ad consummationem saeculi“.

Quae promissio in apostolis verificari non potuit, nam mortui sunt. Ergo magisterium divinitus institutum cum apostolis terminari non potuit, sed necessario permanere debuit. Et revera „consecraverunt episcopos apostoli et singillatim designaverunt eos, qui sibi proximi succederent in ministerio verbi. Insuper his dederunt facultatem, ut successores ordinarent eosque eadem auctoritate augerent. „*Qua de causa sicut Christus a Deo, et apostoli a Christo, sic episcopi et quotquot apostolis successere, missi ab apostolis sunt.*“

„*Permanere igitur necesse est ex una parte constans atque immutabile munus docendi omnia, quae Christus docuerat; ex altera constans et immutabile officium accipiendi profitendique omnem illorum doctrinam.*“

His ecclesia praeceptis instituta, sui memor officii, nihil egit studio maiore, quam ut integritatem fidei omni ex parte tueretur; hinc perduellium habere loco et procul amandare a se, qui de quolibet doctrinae suae capite non secum una sentirent.“

„Quam ob rem, id quod ex iis, quae dicta sunt, apparet, *instituit Jesus Christus in ecclesia vivum, authenticum idemque perenne magisterium*, quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit: eiusque praecepta doctrinae aequae accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit. — Quoties igitur huius magisterii verbo edicitur, traditae divinitus doctrinae complexu hoc contineri vel illud, id quisque debet certo credere, verum esse: si falsum esse ullo modo posset, illud consequatur, quod aperte repugnat, erroris in homine ipsum esse auctorem Deum.“

„Ita omni amota dubitandi causa, ullamne ex iis veritatibus potest cuiquam fas esse respuere, quin se det hoc ipso praecipitem in apertam haeresim? quin, seiunctus ab ecclesia, doctrinam christianam una complexione repudiet universam? Ea quippe est natura fidei, ut nihil tam repugnet, quam ista credere, illa reiicere.“



„Fidem enim ecclesia profitetur esse „virtutem supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.“<sup>1)</sup> Si quid igitur traditum a Deo liqueat fuisse, nec tamen creditur, nihil omnino divina fide creditur . . . qui enim sumunt de doctrina christiana, quod malunt, ii iudicio suo nituntur, non fide; iidemque minime „in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi“<sup>2)</sup>, sibi-metipsis verius obtemperant, quam Deo.“

„Quo circa nihil Patres in concilio Vaticano condidere novi, institutum divinum, veterem atque constantem ecclesiae doctrinam, ipsamque fidei naturam secuti sunt, cum illud decrevere: „Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab ecclesia sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata proponuntur.“<sup>3)</sup> Itaque cum appareat, omnino in ecclesia sua velle Deum unitatem fidei, compertumque sit, cuiusmodi eam esse et quo principio tuendam ipse iusserit, cum Augustino dicere possumus: „Cum igitur tantum auxilium Dei, tantumque profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae. . . . Et si unaquaeque disciplina, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit: quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros et ab interpretibus nolle cognoscere et incognitos velle damnare.“<sup>4)</sup>

1) Vat. sess. III. cp. 3. — 2) II. Cor. 10, 5. — 3) Vat. sess. III. cp. 3. — 4) S. Aug. de utilit. cred. cp. 17. n. 35.



## §. 2.

***De unitate regiminis.***

„Hoc igitur sine ulla dubitatione est officium ecclesiae christianam doctrinam tueri, eamque propagare integram atque incorruptam. Sed nequaquam in isto sunt omnia“, sed finis ecclesiae ex institutione Christi latius patet. Nam Christus ecclesiae suae omnia munera sua tradidit continuanda. Christus vero et doctrinam suam et praecepta, immo omnem vitam suam in id contulit, ut genus humanum salvum fiat; eodem modo ecclesiae quoque iussit per doctrinam sanctificationem et salutem hominum intendere.

Verumtamen ad tam excellens propositum obtinendum „*sola fides nullo modo sufficit*, sed adhiberi necesse est tum *Dei cultum* iustum ac pium, qui maxime sacrificio divino et sacramentorum communicatione continetur, tum *sanctitatem legum et disciplinae*.“

„At vero quomodo doctrina coelestis numquam fuit privatorum arbitrio ingeniove permissa, sed principio a Jesu tradita, deinceps ei separatim, de quo dictum est, commendata magisterio: sic *etiam non singulis e populo christiano, verum delectis quibusdam data divinitus facultas est perficiendi atque administrandi divina mysteria, unâ cum regendi gubernandique potestate*.“

Nam *solis apostolis* eorumque legitimis successoribus a Jesu mandatum est, ut praedicarent evangelium universae creaturae, baptizarent, remitterent peccata, atque gregem pascerent, id est cum „*potestate regerent universitatem christianorum, quos hoc ipso eis subesse debere atque obtemperare est consequens*.“

Voluit ergo Jesus, ut *ducem se et servatorem sequerentur*, non tantum seorsum singuli, sed *etiam consociati atque invicem re animisque iuncti*, ut ex multitudine exurgeret populus unus et unitus, tum communionem fidei, finis et rerum ad finem idonearum, tum subiectionem sub eadem divinitus institutam potestatem. Quo facto Christus secutus est ipsa principia naturae humanae, quae ita constituta est,



ut in societate et per societatem perfectionem suam acquirat; ergo homines uniti in societatem a Christo fundatam, sc. uniti in ecclesiam perfectionem, quae filios Dei adoptivos decet, assequi et retinere debent.

„Ecclesia igitur dux hominibus est ad coelestia, eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut de iis, quae religionem attingunt, videat ipsa et statuatur et rem christianam libere expediteque iudicio suo administret. . . . Ecclesia ergo est societas omnium societatum longe praestantissima: nam quod petit ipsa tanquam finem, tanto nobilius est, quam quod ceterae petunt societates, quanto naturâ gratia divina, rebusque caducis immortalia sunt praestabilia bona.“

„In sacris litteris videmus ecclesiam nuncupari vocabulis societatis perfectae. Nominatur enim non modo *Domus Dei*, *Civitas supra montem* posita, quo convenire gentes omnes necesse est, sed etiam *Ovile*, cui praesit pastor unus et quo recipere se oves omnes debent; immo *Regnum quod suscitavit Deus*, quodque stabit in aeternum; denique *Corpus Christi*, mysticum illud quidem, sed tamen vivum apteque compositum, multisque conflatum membris, quae membra non eundem actum habent, copulata vero inter se gubernante ac moderante capite, continentur.“

„Jam vero *nulla hominum cogitari potest vera ac perfecta societas, quin potestate aliqua summa regatur*. Debet igitur Jesus Christus magistratum ecclesiae maximum praefecisse, cui obediens atque subiecta omnis esset christianorum multitudo. Qua de causa sicut ad unitatem ecclesiae, quatenus est coetus fidelium, necessario unitas fidei requiritur, ita ad ipsius unitatem, quatenus est *divinitus constituta societas, requiritur iure divino unitas regiminis*, quae *unitatem communionis efficit et complectitur*.“

„Quae vero et cuiusmodi summâ ista potestas sit, cui christianos parere oportet universos, non aliter nisi comperta cognitaque voluntate Christi statuendum. Certo in aeternum rex Christus est, itemque moderari in aeternum tuerique regnum suum e coelo non visus perseverat: sed quia conspicuum illud esse voluit, designare debuit qui



gereret in terris vices suas, postea quam ipse ad coelestia rediisset.“ „Hinc est, quod Petro dixit ante ascensionem: Pasce oves meas!“

„Sane insigne illud promissum beato Petro fecit, praeterea nemini: „Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.“<sup>1)</sup> Ad Petrum locutus est Dominus: ad unum, ideo ut unitatem fundaret ex uno.“

„Quo ex *oraculo liquet Dei voluntate iussuque ecclesiam in beato Petro, velut aedes in fundamento consistere.* Atqui fundamenti propria natura et vis est, ut cohaerentes efficiat aedes variorum coagmentatione membrorum, itemque ut operi sit necessarium vinculum incolunitatis atque firmitudinis: quo sublato omnis aedificatio collabitur. Igitur Petri est sustinere ecclesiam tuerique non solubili compage connexam ac firmam. Tantum vero explere munus qui possit sine potestate iubendi, vetandi, iudicandi, quae vere propriaeque iurisdictio dicitur? Profecto non nisi potestate iurisditionis stant civitates resque publicae.“

„Ergo ecclesiam suam Deus idcirco commendavit Petro, ut perpetuo incolumem tutor invictus conservaret. Eum igitur auxit potestate debita: quia societati hominum re et cum effectu tuendae, ius imperii in eo, qui tuetur est necessarium. Illud praeterea Jesus adnexuit: „Et tibi dabo claves regni coelorum.“ Claves vero insigne sunt imperii. Quapropter claves regni coelorum cum Jesus dare Petro pollicetur, potestatem et ius in ecclesiam pollicetur daturum.“

„Concinunt cetera: „Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.“ Ligandi solvendique translata locutio ius ferendarum legum, item iudicandi vindicandique designat potestatem. Quae quidem potestas tantae amplitudinis virtutisque dicitur fore, ut quaelibet decreta eius rata sit habiturus Deus. Itaque summa est planeque sui iuris, quippe quae nullam habet in terris superiorem gradu, ecclesiamque totam et quae sunt ecclesiae commissa, universa complectitur.“

<sup>1)</sup> Matth. 16, 18.



Promissum exsolvit Christus post suam resurrectionem, ubi Petro post trinam interrogationem, num se diligeret, plus quam ceteri, ait: pasce agnos meos, pasce oves meas. „Illa vero sunt pastoris officia et partes, gregi se praebere ducem, eundemque sospitare salubritate pabulorum, prohibendo pericula, cavendo insidias, tutando a vi: brevi, regendo, gubernando. Cum igitur Petrus est gregi christianorum pastor impositus, potestatem accepit gubernandi omnes homines, quorum saluti Jesus Christus profuso sanguine prospexerat.“

„Eiusmodi autem *principatum, quoniam constitutione ecclesiae velut pars praecipua continetur, videlicet ut principium unitatis ac fundamentum incolumitatis perpetuae, nequaquam cum beato Petro interire, sed recidere in eius successores ex alio in alium oportuit.*“

„Quare *pontifices, qui Petro in episcopatu romano succedunt, supremam ecclesiae potestatem obtinent iure divino.* Definimus, sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput et omnium christianorum Patrem ac doctorem existere et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.“ 1) Similiter: „Romana ecclesia... disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christifidelium et magistra.“ 2)

„Antecesserat consensus antiquitatis, quae episcopos romanos sine ulla dubitatione sic semper observavit et coluit ut beati Petri legitimos successores. . . . . Nolumus quidem persequi singula testimonia; libet tamen formulam fidei meminisse, quam Michael Palaeologus in concilio Lugdunensi II. professus est: Ipsa quoque sancta romana ecclesia summum et plenum primatum et principatum super

1) Conc. Florent. — 2) Later. IV.



universam ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro, Apostolorum principe sive vertice, cuius romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri.“

Deinde summus pontifex in eadem encyclica exponit *relationem episcoporum ad Pontificem romanum*. Episcopi *non sunt eius vicarii*, „quia potestatem gerunt sibi propriam, verissimeque populorum, quos regunt, antistites ordinarii dicuntur.“ Ast *necessarium est, ut episcopi intime coniuncti cum romano pontifice maneant*, secus „tot in ecclesia efficerentur schismata, quot sacerdotes.“<sup>1)</sup>

„Nam cum ecclesiam suam divinus auctor fide et regimine et communionem unam esse decrevisset, Petrum eiusque successores delegit, in quibus principium foret ac velut centrum unitatis. . . . Nemo igitur, nisi cum Petro cohaereat, participare auctoritatem potest, cum absurdum sit opinari, qui extra ecclesiam est, eum in ecclesia praeesse.“

„Sed episcoporum ordo tunc rite, ut Christus iussit, colligatus cum Petro putandus, *si Petro subsit eique pareat*; secus in multitudinem confusam et perturbatam necessario delabitur.“ Subiecti autem sunt iurisdictioni romani pontificis non solummodo singuli episcopi, sed et omnes in totum collecti; „quam in ipsum episcoporum collegium potestatem agnoscere et testari nullo tempore ecclesia destitit. Illa sunt in hoc genere effata conciliorum: Romanum pontificem de omnium ecclesiarum praesulibus iudicasse legimus: de eo vero quemquam iudicasse non legimus. Cuius rei ea ratio redditur, quod auctoritate sedis apostolicae maior non est.“

„*Neque vero potestati geminae eosdem subesse, confusionem habet administrationis*. Tale quicquam suspicari, primum sapientia Dei prohibemur, cuius consilio est temperatio isthaec regiminis constituta. Illud praeterea animad-

<sup>1)</sup> S. Hieron. contra Lucif.



vertendum, tum rerum ordinem perturbari, si bini magistratus in populo sint eodem gradu, neutro alteri obnoxio. Sed romani pontificis potestas summa est, universalis, planeque sui iuris, episcoporum vero certis circumscripta finibus, nec plane sui iuris“, ita ut ordo pulcherrimus facile observetur.

„*Romani autem pontifices, officii sui memores, maxime omnium conservari volunt, quidquid est in ecclesia divinitus constitutum: propterea quemadmodum potestatem suam ea qua par est cura vigilantiaque tuentur, ita et dedere et dabunt constanter operam, ut sua episcopis auctoritas salva sit. Immo quidquid episcopis tribuitur honoris, quidquid obsequii, id omne sibimetipsis tributum deputant.*“

Qua explicatione Leo papa XIII. praeclare ecclesiae imaginem atque formam ex divina institutione fideliter expressit. Quotquot, ut in sinu ecclesiae catholicae tamquam ex ea nati vivamus, divino munere beneficioque contigit, vocem apostolicam audiamus, fideliterque tum fidei ecclesiae tum regimini adhaereamus. Aures nostras non praebemus falsis doctoribus, qui fidei articulis reiectis rebellionem movent contra regimen ecclesiae nosque seducere ad rebellionem conantur.

## Cap. VIII.

### De ecclesia ut fonte bonorum pro societate.

Cum *ecclesia divinae sit originis*, atque unica omnia salutis media possideat neque a veritate aberrare possit, *expectanda sunt ab illa omnia bona*, quae societati humanae necessaria sunt.

Et revera *ecclesia mater est civilis humanitatis*, cui solida fundamenta subministravit. Nam ecclesia est illa mater, quae generi humano aeterna principia veritatis ac immutabiles recti iustique leges porrexit, illa est, quae hominum voluntates sincera dilectione devinxit atque officia mutua rite ordinavit.




„Ecquis negare audeat, ait Leo XIII. 1), *ecclesiam* esse, quae diffuso per gentes evangelii praeconio, lucem veritatis inter efferatos populos et foedis superstitionibus imbutos adduxit, eosque ad divinum rerum auctorem agnoscendum et sese respiciendos excitavit; quae servitutis calamitate sublata ad pristinam naturae nobilissimae dignitatem homines revocavit, quae in omnibus terrae plagis redemptionis signo explicato, scientiis et artibus adductis aut suo tectis praesidio, optimis caritatis institutis . . . fundatis et in tutelam receptis ubique hominum genus privatim et publice excoluit, a squalore vindicavit et ad vitae formam humanae dignitati et spei consentaneam, omni studio composuit?“

„Insuper *iniquum* esset *inficiari, quantopere romani Antistites de universa civili societate . . . sint meriti*. Profecto praedecessores nostri, prosequitur Leo XIII. 2), ut populorum bono prospicerent, omnis generis certamina suscipere, graves exantlare labores, seque asperis difficultatibus obicere numquam dubitarunt; et defixis in coelo oculis neque improborum minis submisere frontem, neque blanditiis et pollicitationibus se ab officio abduci degeneri assensu passi sunt“ . . . . Non possumus conatus omnes pontificum ad procurandum bonum commune enarrare, nam notum est omnibus „Pontificum laudem esse, quod constantissime se pro muro et propugnaculo obiecerint, ne humana societas in superstitionem et barbariem antiquam relaberetur.“

„Utinam salutaris haec auctoritas neglecta nunquam esset vel repudiata! Profecto nec civilis principatus augmentum et sacrum illud amisisset decus, quod a religione inditum praeferebat, quodque unum efficit, ut parendi conditio homine digna nobilisque evadat; neque exarsissent tot seditiones et bella, quae calamitatibus et caedibus terras funestarunt; neque regna florentissima, e prosperitatis culmine dejecta, omnium aerumnarum pondere premerentur.“

Ideo omnes gentes in sinum ecclesiae semet recipiant!  
„Nam *restitutis ad fidei unitatem imperiis et civitatibus,*

1) Encycl. Inscrutabili 21. april. 1878. — 2) Encycl. Inscrutabili.





asserit Leo XIII.<sup>1)</sup>, *mirum quam efficax medicina malorum et quanta bonorum copia manaret. Praecipua libet attingere.*“

„Pertinet primum bonum ad dignitatem et munera ecclesiae: quae quidem receptura esset honoris gradum debitum, atque iter suum et invidia vacuum et libertate munitum pergeret, administra evangelicae veritatis et gratiae, idque cum singulari salute civitatum. Ea enim cum magistra sit et dux hominum generi a Deo data, conferre operam potest sedandis perturbationibus temporum, causis vel impeditisimis oportune dirimendis, recto iustoque, quae firmissima sunt fundamenta reipublicae, provehendo.“

„Praeclara deinde *coniunctionis inter nationes accessio* fieret, desideranda maxime hoc tempore, ad tetra bellorum discrimina praecavenda. Ante oculos habemus Europae tempora. Multos iam annos plus specie in pace vivitur, quam re. Insidentibus suspicionibus mutuis singulae fere gentes pergunt certatim instruere sese apparatu bellico. Improvida adolescentium aetas procul parentum consilio magisterioque in pericula truditur vitae militaris; validissima pubes ab agrorum cultura, a studiis optimis, a mercaturis, ab artificiis ad arma traducitur. Hinc exhausta magnis sumptibus aeraria, attritae civitatum opes, afflicta fortuna privatorum: iamque ea quae nunc est pax diutius ferri non potest . . . Atqui hinc evadere et pacem veri nominis adipisci, nisi Jesu Christi beneficio non possumus. Etenim ad ambitionem, ad appetentiam alieni et ad aemulationem cohibendam, quae sunt maximae bellorum faces, christiana virtute, imprimis iustitia, nihil est aptius: cuius ipsius virtutis munere tum iura gentium, tum sanctitas foederum integra esse possunt, tum fraternae caritatis vincula firmiter permanere eo persuaso: iustitia elevat gentem.“

„Pariter *domi proveniet inde praesidium salutis publicae* multo certius ac validius, quam quod leges et arma praebent. Siquidem nemo non videt, ingravescere quotidie pericula incolumitatis et tranquillitatis publicae, cum seditiosorum sectae . . . in eversiones conspirent atque excidia civitatum.“

4) Encycl. Praeclara gratulationis. 20. jun. 1894.



Magna contentione agitur ea *duplex causa, quam socialem, quam politicam* appellant. Utraque sane gravissima: atque utrique sapienter iusteque dirimendae, quamvis laudabilia studia, temperamenta, experimenta sint in medio consulta, tamen nihil aliud tam opportunum fuerit, quam si passim animi ad conscientiam regulamque officii ex interiore fidei christianae principio informantur.“<sup>1)</sup>

De sociali causa inferius tractaturi audiamus pontificem de causa politica breviter disserentem.

„De *causa politica*, libertatis cum potestate conciliandae gratiâ, quas multi notione confundunt et re intemperanter distrahunt, ex christiana philosophia vis derivari potest perutilis. Nam . . . quaecunque demum sit forma reipublicae, si omnes assensu approbant, auctoritatem esse a Deo, continuo ratio perspicit, legitimum esse in aliis ius imperandi, consentaneum in aliis officium parendi, neque id dignitati contrarium, quia Deo verius, quam homini paretur; a Deo autem iudicium durissimum iis, qui praesunt, denuntiatum est, nisi personam eius recte, iusteque gesserint.“

Denique, *quanta bona pro societate domestica ab ecclesia parata* habentur. Nam, ait Leo XIII.<sup>2)</sup>, „cum Dominus Jesus matrimonii foedus, in quo suam cum ecclesia coniunctionem significatum voluit, ad sacramenti dignitatem evexerit, non modo maritalem unionem sanctiorem effecit, sed etiam efficacissima tum parentibus tum proli paravit auxilia, quibus per mutuorum officiorum observantiam, temporalem atque aeternam felicitatem facilius assequerentur.“

„*Tum vero illud optatissimum consequetur, quod singulorum etiam hominum mores et vitae ratio reformatur*: nam veluti ex corrupto stipite deteriores rami et fructus infelices germinant, sic mala labes, quae familias depravat, in singulorum civium noxam et vitium tristi contagione redundat. Contra vero, domestica societate ad christianae vitae

1) Encycl. Praeclara gratulationis.

2) Encycl. Inscrutabili.



formam composita, singula membra sensim assuescent religionem pietatemque diligere, a falsis perniciosisque doctrinis abhorrere, sectari virtutem, maioribus obsequi, atque inexhaustum illud privatae dumtaxat utilitatis studium coercere, quod humanam naturam tantopere deprimit ac enervat.“

Cum ex ecclesia catholica tanta bona in universam societatem emanent, Leo Pp. XIII. omnes populos, gentiles, haereticos et schismaticos ad gremium ecclesiae catholicae invitat. Catholicos autem monet<sup>1)</sup>, ne ingravantibus undique periculis, summum Dei beneficium socordia atque ignavia corrumpant. Deinde scribit:

„*Illud imprimis velut summam sibi legem statuant catholici, magisterio auctoritatique ecclesiae non anguste, non diffidenter, sed toto animo et perlibente voluntate omnibus in rebus esse parendum.* Qua in re animum advertant, illud quam valde sit unitati christianae perniciosum, quod germanam formam atque notionem ecclesiae variis opinionum error passim obscuravit, delevit.“

„Ecclesia quippe, Dei conditoris voluntate ac iussu, societas est genere suo perfecta; cuius officium ac munus est imbuere praeceptis institutisque evangelicis genus humanum . . . . illudque ad eam, quae unicuique hominum proposita in coelis est, felicitatem adducere.“

„Quoniam societas est perfecta, ideo vim habet virtutemque vitae, non extrinsecus haustam, sed consilio divino et suapte naturâ insitam: eademque de causa nativam habet legum ferendarum potestatem, in iisque ferendis nemini subest; itemque aliis in rebus, quae sint iuris sui, oportet esse liberam. Quae tamen libertas non est eiusmodi, ut ullum det aemulationi invidiaeque locum: non enim potentiam consecretur ecclesia, neque ulla cupiditate sua impellitur, sed hoc vult, hoc expetit unice, tueri in hominibus officia virtutum, et hac ratione, hac via sempiternae eorum saluti consulere.“

<sup>1)</sup> Encycl. Praeclara gratulationis.



## Titulus IV.

### De relatione inter scientiam et fidem.

Concilium Vaticanum<sup>1)</sup> docet: „Hoc quoque perpetuus ecclesiae catholicae sensus tenuit et tenet, *duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum*: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognovimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae nisi revelata divinitus, innotescere non possunt.“

Ulterius idem concilium<sup>2)</sup> affirmat: „Verum *etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest*: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod fidei dogmata ad mentem ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habentur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus.“

Uberius adhuc de scientiae et fidei mutua relatione tractat Summus Pontifex Leo XIII. in sua encyclica „*Aeterni Patris*“ de die 4. augusti 1879, cuius doctrinam ob multiples errores de fide et scientia apud nos propalatos exponere necessarium esse ducimus et quidem in *duobus capitibus, in quorum primo doctrina de relatione scientiae ad fidem, in secundo historia huius relationis proponetur.*

### Cap. I<sup>3)</sup>.

#### De relatione philosophiae ad fidem.

„Aeterni Patris unigenitus Filius, ita exorditur Leo XIII. . . . magnum plane ac mirabile mundo contulit beneficium, cum

<sup>1)</sup> Const. de fide cap IV. n. 1. — <sup>2)</sup> lb. n. 3. — <sup>3)</sup> Encycl. Aeterni Patris de 4. aug. 1879.



coelos iterum ascensurus Apostolis praecepit, ut euntes docerent omnes gentes<sup>1)</sup>, *ecclesiamque a se conditam communem ac supremam magistram reliquit.*“

„Homines enim, quos veritas liberaverat, veritate erant conservandi: ast coelestium doctrinarum fructus, per quos est homini parta salus, diu non permansissent, nisi Christus Dominus erudiendis ad fidem mentibus perenne magisterium constituisset. Ecclesia vero divini Auctoris sui . . . sic iussa perfecit, ut hoc semper spectarit, hoc maxime voluerit, de religione praecipere et cum erroribus perpetuo dimicare. Huc sane pertinent singulorum episcoporum vigilati labores, huc conciliorum perlatae leges ac decreta et maxime romanorum pontificum sollicitudo quotidiana, penes quos, beati Petri apostolorum principis in primatu successores, et ius et officium est docendi et confirmandi fratres in fide.“

„Quoniam vero, apostolo monente, per philosophiam et inanem fallaciam Christi fidelium mentes decipi solent, et fidei sinceritas in hominibus corrumpi, idcirco supremi ecclesiae pastores muneris sui perpetuo esse duxerunt etiam veri nominis scientiam totis viribus provehere, simulque singulari providentia providere, ut ad fidei catholicae normam ubique traderentur humanae disciplinae omnes, praesertim vero philosophia, a qua nimirum magna ex parte pendet ceterarum scientiarum recta ratio.“

Eodem officio ductus Leo XIII. quoque agere vult de ineunda ea philosophicorum studiorum ratione, quae et bono fidei apte respondeat et humanarum scientiarum dignitati sit consentanea.

### 1. *De causa malorum nostri temporis.*

„Si quis, ait Leo XIII., in acerbiter nostrorum temporum animum intendant, earum rerum rationem, quae publice et privatim geruntur, cogitatione complectatur, is *profecto comperiet, fecundam malorum causam, tum eorum quae premunt, tum eorum quae pertimescimus, in eo consistere,*

<sup>1)</sup> Matt. 28, 19.



*quod prava de divinis humanisque rebus scita, e scholis philosophorum iam pridem profecta, in omnes civitatis ordines irrepserint communi plurimorum suffragio recepta.*“

At unde talis influxus doctrinae pravae et perversae? Papa respondet: „Cum enim insitum natura sit, ut in agendo rationem ducem sequatur, si quid intelligentia peccat, in id et voluntas facile labitur: atque ita contingit, ut pravitas opinionum . . . in humanas actiones influat easque pervertat. Ex adverso, si sana mens hominum fuerit, et solidis verisque principiis firmiter insistat, tum vero in publicum privatumque commodum plurima beneficia progignet.“

## 2. De remedio malorum.

Unde remedium quaerendum? Leo XIII. continuat et dicit, ab omnipotenti potissimum virtute et auxilio Dei esse expectandum, ut mortalium mentes, sublatis errorum tenebris, respiscant. „Sed neque spernenda, seu posthabenda sunt naturalia adiumenta, quae divinae sapientiae beneficio . . . hominum generi suppetunt; quibus in adiumentis rectum philosophiae usum constat esse praecipuum. Non enim frustra rationis lumen humanae menti Deus inseruit; et tantum abest, ut superaddita fidei lux virtutem intelligentiae extinguat, aut imminuat, ut potius perficiat, auctisque viribusabilem ad maiora reddat.“

„Igitur postulat ipsius divinae Providentiae ratio, ut in revocandis ad fidem et salutem populis etiam ab humana scientia praesidium quaeratur.“ . . . Jam „ecclesiae Patres neque paucas, neque tenues rationi partes dare consueverant, quas omnes perbreviter complexus est magnus Augustinus „huic scientiae tribuens . . . illud, quod fides saluberrima . . . gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.“<sup>1)</sup>

## 3. De utilitate philosophiae.

Philosophia fidei multas affert utilitates, quas Leo XIII. in praefata encyclica exponit.

<sup>1)</sup> De Trinit. I. XIV. c. 1.



## a) Philosophia sternit iter ad fidem.

„Ac primo quidem, dicit Leo XIII., *philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram fidem quodammodo sternere ac munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter praeparare*; quamobrem a veteribus modo praevia ad christianam fidem institutio,<sup>1)</sup> modo christianismi praeludium et auxilium,<sup>2)</sup> modo ad evangelium paedagogus<sup>3)</sup> non immerito appellata est.“

„Et sane benignissimus Deus in eo, quod pertinet ad res divinas, non eas tantum veritates lumine fidei patefecit, quibus attingendis impar humana intelligentia est, sed nonnullas etiam manifestavit rationi non omnino impervias, ut scilicet, accedente Dei auctoritate, statim et sine aliqua erroris admixtione omnibus innotescerent.“

Inde haud mirum, si aliquas veritates, quae nunc a Deo revelatae a nobis creduntur, „ipsi ethnicum sapientes naturali tantum ratione praelucente cognoverint, aptisque argumentis demonstraverint atque vindicaverint.“ Quae cognitio ethnicorum facile converti potest in commodum doctrinae revelatae, nam ex ea patet, „humanam quoque sapientiam atque ipsum adversariorum testimonium fidei christianae suffragari.“

„Quam agendi rationem non recens inductam, sed veterem esse constat et sanctis ecclesiae patribus saepe usitatam . . . Gregorius Neocaesarensis laudat Origenem<sup>4)</sup> hoc nomine, quod plura ex ethnicorum placitis ingeniose decerpta, quasi erepta hostibus tela, in patrocinium christianae sapientiae et perniciem superstitionis singulari dexterritate retorsit.“ Parem disputandi modum in aliis quoque ecclesiasticis scriptoribus patres laudant et probant.

„Quod si vero naturalis ratio opimam hanc doctrinae segetem prius fudit, quam Christi virtute fecundaretur, multo uberiores certo progignet, posteaquam Salvatoris gratia nativas humanae mentis facultates instauravit et auxit.“

1) Clem. Alex. Strom. I. 1. c. 16; I. 7. c. 3. — 2) Orig. ad Greg. Thaum. — 3) Clem. Alex. Strom. I. 1. c. 5. — 4) Orat. paneg. ad Orig.



b) Philosophia varias veritates fidei demonstrat.

„Non his tamen limitibus utilitas circumscribitur, quae ex illo philosophandi instituto dimanat.“ Sed philosophia utilem se exhibet fidei aliis quoque modis. „Primo loco *magnus hic et praeclarus ex humana ratione fructus capitur, quod illa Deum esse domonstret*: a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri.“ 1)

„Deinde Deum ostendit omnium perfectionum cumulo singulariter excellere, infinita imprimis sapientia, quam nulla usquam res latere, et summa iustitia, quam pravus nunquam vincere possit affectus, ideoque Deum non solum veracem esse, sed ipsam veritatem falli et fallere nesciam. Ex *quo consequi perspicuum est, ut humana ratio plenissimam verbo Dei fidem atque auctoritatem conciliet*.“

„Simili modo ratio declarat, evangelicam doctrinam mirabilibus quibusdam signis, tamquam certis certae veritatis argumentis, vel ab ipsa origine emicuisse; atque ideo omnes, qui evangelio fidem adiungunt, non temere adiungere, tamquam doctas fabulas secutos, sed rationabili prorsus obsequio intelligentiam et iudicium suum divinae subiicere auctoritati.“

„Illud autem non minoris pretii esse intelligitur, quod ratio in perspicuo ponat, ecclesiam a Christo institutam (ut statuit Vaticana synodus) ob suam admirabilem propagatorem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum esse motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.“

„Solidissimis ita positis fundamentis *perpetuus et multiplex adhuc requiritur philosophiae usus, ut sacra theologia naturam, habitum ingeniumque verae scientiae suscipiat atque induat*. In hac enim nobilissima disciplinarum magno-pere necesse est, ut multae ac diversae coelestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis

1) Sap. 13, 1.



quaeque locis convenienter dispositae, et ex propriis principiis derivatae apto inter se nexu cohaereant; demum ut omnes et singulae suis iisque invictis argumentis confirmentur.“

„Nec silentio praetereunda . . . accuratior illa atque uberior rerum, quae creduntur, cognitio et ipsorum fidei mysteriorum, quoad fieri potest, aliquanto lucidior intelligentia, quam Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi studuerunt, quamque ipsa Vaticana synodus<sup>1)</sup> fructuosissimam esse decrevit. Eam siquidem cognitionem et intelligentiam plenius et facilius illi certe consecuntur, qui cum integritate vitae fideique studio ingenium coniungunt philosophicis disciplinis expolitum, praesertim cum eadem synodus Vaticana doceat, eiusmodi sacrorum dogmatum intelligentiam tum ex eorum, quae naturaliter cognoscuntur, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo peti oportere.“

c) Philosophia veritates fidei tuetur.

„Postremo hoc quoque ad *disciplinas philosophicas pertinet, veritates divinitus traditas religiose tueri, et iis, qui oppugnare audeant, resistere*. Quam ad rem magna est philosophiae laus, quod fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum habeatur. „Est quidem, sicut Clemens Alex. testatur, per se perfecta et nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem graeca philosophia veritatem non facit potentior; sed cum debiles efficiat sophistarum adversus eam argumentationes et propulset dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineae apta sepes et vallus.<sup>2)</sup> Profecto sicut inimici catholici nominis, adversus religionem pugnaturi, bellicos apparatus plerumque a philosophica ratione mutuuntur, ita divinarum scientiarum defensores plura e philosophiae pena depromunt, quibus revelata dogmata valeant propugnare . . . Atque ipsa ecclesia istud a philosophia praesidium christianos doctores petere non tantum suadet, sed etiam iubet.“

<sup>1)</sup> Const. de fide cap. 4. — <sup>2)</sup> Strom. I. 1. c. 20.



## d) Cautelae in adhibenda philosophia.

„Verum, ait Leo XIII., ut pretiosis hisce afferendis fructibus par philosophia inveniatur, *omnino oportet, ut ab eo tramite nunquam deflectat, quem et veneranda Patrum antiquitas ingressa est et Vaticana synodus solemni auctoritatis suffragio comprobavit.*“

„Scilicet cum plane compertum sit, plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas, quae cuiuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana propriae infirmitatis conscia maiora se affectare ne audeat, neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri, neu pro lubitu interpretari; sed eas potius plena atque humili fide suscipiat et summi honoris loco habeat, quod sibi liceat in morem ancillae et pedissequae famulari coelestibus doctrinis, easque aliqua ratione, Dei beneficio, attingere.“

„In iis autem doctrinarum capitibus, quae percipere humana intelligentia naturaliter potest, aequum plane est, sua methodo, suisque principiis atque argumentis uti philosophiam: non ita tamen, ut auctoritati divinae sese audacter subtrahere videatur. Immo cum constet, ea, quae revelatione innotescunt, certa veritate pollere, et quae fidei adversantur, pariter cum recta ratione pugnare, *noverit philosophus catholicus se fidei simul et rationis iura violaturum, si conclusionem aliquam amplectatur, quam revelatae doctrinae repugnare intellexerit.*“

## e) Obiectio.

„Novimus profecto non deesse, qui *facultates humanae naturae plus nimio extollentes contendunt, hominis intelligentiam, ubi semel divinae auctoritati subiiciatur, e nativa dignitate excidere, et quodam quasi servitutis iugo demissam plurimum retardari atque impediri, quominus ad veritatis excellentiaeque fastigium progrediatur.*“

„Sed haec plena erroris et fallaciae sunt, eoque tandem spectant, ut homines summa cum stultitia, nec sine crimine ingrati animi, sublimiores veritates repudient et divinum



beneficium fidei, ex qua omnium bonorum fontes etiam in civilem societatem fluxere, sponte reiiciant.“

„Etenim cum humana mens certis finibus, iisque satis angustis, conclusa teneatur, pluribus erroribus et multarum rerum ignorationi est obnoxia. Contra fides christiana, cum Dei auctoritate nitatur, certissima est veritatis magistra; quam qui sequitur, neque errorum laqueis irretitur, neque incertarum opinionum fluctibus agitur. *Quapropter qui philosophiae studium cum obsequio fidei christianae coniungunt, ii optime philosophantur*: quando quidem divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam iuvat intelligentiam, cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit. . . .“

„Merito igitur Vaticana synodus praeclara beneficia, quae per fidem rationi praestantur, his verbis commemorat: *„Fides rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione instruit.“* <sup>1)</sup> Atque idcirco homini, si saperet, non culpanda fides, veluti rationi et veritatibus naturalibus inimica, sed dignae potius Deo grates essent habendae, vehementerque laetandum, quod inter multas ignorantiae causas et in mediis errorum fluctibus, sibi fides sanctissima illuxerit, quae, quasi sidus amicum, citra omnem errandi formidinem portum veritatis commonstrat.“

## Cap. II.

### De historia relationis philosophiae ad fidem.

Historiâ probatur doctrina nunc exposita de relatione philosophiae ad fidem.

#### 1. Philosophi gentiles.

Leo XIII. historiam philosophiae sequenti modo proponit:

„Et sane *philosophorum veterum, qui fidei beneficio caruerunt, etiam qui habebantur sapientissimi, in pluribus*

<sup>1)</sup> Const. de fide cap. 4.



*deterrime errarunt.* Nostis enim inter nonnulla vera quam saepe falsa et absona, quam multa incerta et dubia traderint de vera divinitatis ratione, de prima rerum origine, de mundi gubernatione . . . , de ultimo fine hominis . . . , de virtutibus et vitiis, aliisque doctrinis, quarum vera certa que notitia nihil magis est hominum generi necessarium.“

## 2. Ss. Patres et Doctores ecclesiae.

„Contra vero primi ecclesiae Patres et Doctores, qui satis *intellexerant . . . restitutorem etiam humanae scientiae esse Christum*, qui Dei virtus est Deique sapientia <sup>1)</sup> et in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi <sup>2)</sup>, veterum sapientum libros investigandos, eorumque sententias cum revelatis doctrinis conferendas susceperere; prudentique delectu, quae in iis vere dicta et sapienter cogitata occurrerent, amplexi sunt, ceteris omnibus vel emendatis, vel reiectis.“

„Nam providissimus Deus, sicut ad ecclesiae defensionem martyres fortissimos . . . contra tyrannorum saevitiem excitavit, ita *philosophis falsi nominis aut haereticis viros sapientiã maximos obiecit*, qui revelatarum veritatum thesaurum etiam rationis humanae praesidio tuerentur.“

Cum infensissimis adversariis catholicae doctrinae, „qui christianorum dogmata et instituta irridentes ponebant plures esse deos . . . congressi sunt sapientes viri, quos apologetas nominamus, qui fide praeunte ab humana quoque sapientia argumenta sumpserunt, quibus constituerunt, unum Deum, omni perfectionum genere praestantissimum esse colendum; res omnes e nihilo omnipotenti virtute esse productas, illius sapientia vigere, singulasque ad proprios fines dirigi ac moveri.“

Tunc Leo XIII. varios Apologetas enumerat laudatque, quibus recensitis de S. Augustino scribit: „Sed omnibus veluti palmam praeripuisse visus est Augustinus, qui ingenio praepotens et sacris profanisque disciplinis ad plenum im-

<sup>1)</sup> I. Cort. 1, 24. — <sup>2)</sup> Coloss. 2, 3.



butus, contra omnes suae aetatis errores acerrime dimicavit fide summa, doctrina pari. Quem ille philosophiae locum non attigit, immo vero quem non diligentissime investigavit, sive cum altissima fidei mysteria et fidelibus aperiret et contra adversariorum vesanos impetus defenderet; sive cum Academicorum et Manichaeorum commentis deletis, humanae scientiae fundamenta et firmitudinem in tuto collocarit, aut malorum, quibus premuntur homines, rationem et originem et causas est persecutus? Quanta de angelis, de anima, de mente humana, de voluntate et libero arbitrio, de religione et de beata vita, de tempore et aeternitate, de ipsa quoque mutabilium corporum natura subtilissime disputavit? — Post id tempus per Orientem Joannes Damascenus, Basilii et Gregorii Nazianzeni vestigia ingressus, per Occidentem vero Boëthius et Anselmus, Augustini doctrinas professi, patrimonium philosophiae plurimum locupletarunt.“

### 3. Scholastici.

„Exinde, continuat Leo XIII., mediae aetatis doctores, quos *Scholasticos vocant, magnae molis opus aggressi sunt, nimirum segetes doctrinae fecundas et uberes, amplissimis Sanctorum Patrum voluminibus diffusas, diligenter congregere, congestasque uno velut loco condere in posterorum usum et commoditatem.*“

Jam summus Pontifex verbis Sixti pp. V. extollit *indolem atque excellentiam scholasticae disciplinae*. Postea continuando scribit: „Praeclarae dotes, quae theologiam scholasticam hostibus veritatis faciunt tantopere formidolosam, nimirum, ut idem Pontifex (sc. Sixtus V.) addit, „apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, ille ordo et dispositio . . ., illae dilucidae definitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimae disputationes, quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, haereticorum mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta, tamquam veste detracta patefiunt et denudantur“, praeclare, inquam, et mirabiles istae dotes unice a recto usu repetendae sunt eius philosophiae, quam magistri scholastici, data opera et



sapienti consilio in disputationibus etiam theologicis passim usurpare consueverunt.“

„Praeterea cum illud sit scholasticorum theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se nexu coniunxerint, profecto theologia, in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinionum hominum adeptura, si mancam atque imperfectam aut levem philosophiam adhibuisset.“

#### 4. S. Thomas Aquinas.

„Jamvero inter scholasticos doctores omnium princeps et magister longe eminent *Thomas Aquinas*; qui, uti Caietanus animadvertit, veteres doctores sacros, quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est. *Illorum doctrinas velut dispersa cuiusdam corporis membra in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicae ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur.*“

„Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit et doctrinae splendore complevit. Nulla est philosophiae pars, quam non acute simul et solide pertractarit: de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis . . . ita disputavit, ut in eo neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur.“

„Illud etiam accedit, quod *philosophicas conclusiones angelicus doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis*, quae quam latissime patent et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam philosophandi rationem cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a se impetravit, ut et



superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exoriturum sunt, arma invictissima suppeditavit.

„Praeterea rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere, neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae est per Thomam consecuta.“

„Has ob causas doctissimi homines, superioribus praesertim aetatibus, theologiae et philosophiae laude praestantissimi, conquisitis incredibili studio Thomae voluminibus immortalibus, angelicae sapientiae eius sese non tam excolendos, quam penitus innutriendos tradiderunt.“

Post hanc laudem S. Thomae tributam summus Pontifex describit ordines religiosos, qui angelico doctori adhaerebant, academias et scholas, in quibus ille tanquam in regno suo consedissee exhibetur, romanos pontifices, qui singularibus laudum praeconiis eum prosequerentur, oecumenica concilia, quae singularem Aquinati honorem habere perpetuo studebant, immo et adversarios catholici nominis, inter quos non defuerunt, „qui palam profiterentur, sublata semel e medio doctrina Thomae Aquinatis, se facile posse cum omnibus catholicis doctoribus subire certamen et vincere et ecclesiam dissipare.“

### 5. Nova philosophia.

„Ideo iudicamus, pergit summus Pontifex, temere esse commissum, ut huic disciplinae philosophicae suus honor non semper, nec ubique permanserit: praesertim cum philosophiae scholasticae et usum diuturnum et maximorum virorum iudicium et, quod caput est, ecclesiae suffragium favisse constaret. Atque in *veteris doctrinae locum nova quaedam philosophiae ratio hac illac successit*, unde non ii percepti sunt fructus optabiles ac salutare, quos ecclesia et ipsa civilis societas maluissent.“



„*Adnitentibus enim novatoribus saeculi XVI. placuit philosophari citra quempiam ad finem respectum, petita dataque vicissim potestate qualibet pro lubitu ingenioque excogitandi.* Qua ex re pronum fuit, genera philosophiae plus aequè multiplicari, sententiasque diversas atque inter se repugnantes oriri etiam de iis rebus, quae sunt in humanis cognitionibus praecipuae. A multitudine sententiarum ad haesitationes dubitationesque persaepe ventum est: a dubitationibus vero in errorem quam facile mentes hominum delabantur, nemo est qui non videat.“

„*Hoc autem novitatis studium, cum homines imitatione trahantur, catholicorum quoque philosophorum animos visum est pervasisse, qui patrimonio antiquae sapientiae posthabito nova moliri, quam vetera novis augere et perficere maluerunt, certe minus sapienti consilio et non sine scientiarum detrimento. Etenim multiplex haec ratio doctrinae, cum in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nitatur, mutabile habet fundamentum, eaque de causa . . . nutantem ac levem facit philosophiam. Cui si forte contingat, hostium impetu ferendo vix parem aliquando inviniri, eius rei cognoscat in seipsa residere causam et culpam.*“

„*Quae cum dicimus, non eos profecto improbamus doctos homines atque solertes, qui industriam et eruditionem suam, ac novorum inventorum opes ad excolendam philosophiam offerunt: id enim probe intelligimus ad incrementa doctrinae pertinere. Sed magnopere cavendum est, ne in illa industria et eruditione tota aut praecipua exercitatio versetur.*“

Et simili modo de *sacra theologia iudicetur, quam multiplici eruditionis adiumento adiuvari atque illustrari quidem placet, sed omnino necesse est, gravi scholasticorum more tractari, ut revelationis et rationis in illa viribus, invictum fidei propugnaculum esse perseveret.*“

## 6. Restauratio philosophiae.

Ad extremum denique summus Pontifex *laudat eos, non paucos viros, qui cum „ad instaurandum utiliter philo-*



*sophiam novissime animum adiecerint, praeclaram Thomae Aquinatis doctrinam restituere atque in pristinum decus vindicare studuerunt et student.*“ Adhortatur deinde *episcopos*, ut „sapientiae rivos purissimos ex angelico doctore iugi et praediviti vena dimanantes studiosae iuventuti large copioseque“ praebeant. Ita nimirum adolescentes, imprimis clerici idonei erunt atque copioso armorum apparatu instructi, ut causam religionis sapienter et fortiter agant; utilitas inde magna speratur pro civili quoque societate, pro incremento bonarum artium, immo et disciplinarum physicarum.

Quibus litteris publicatis philosophia S. Thomae ubique terrarum in bonum fidei et scientiae, ecclesiae et reipublicae est restituta.

## Titulus V.

### De statu civili eiusque relatione ad ecclesiam.

Quia de *potestate civili, de relatione ecclesiae ad illam deque variis obligationibus civium* permultae falsae doctrinae circumferuntur, necessarium videtur, ut synodus dioecesana principia vera ecclesiae catholicae proferat. Ne synodus a vero deviet, inhaerebit vestigiis Summi Pontificis, qui encyclicis suis: „*Diuturnum illud*<sup>1)</sup>, *Immortale Dei*<sup>2)</sup> et *Sapientiae christianae*<sup>3)</sup> varias quaestiones huc pertinentes dilucidavit, errores vero modernos profligavit.

## Cap. I.

### De origine potestatis civilis.<sup>4)</sup>

*Nemo inficiari potest necessitatem potestatis in qualibet consociatione hominum*, ne „principio vel capite, a quo regatur, destituta societas dilabatur et finem consequi prohibeatur, cuius gratia nata et constituta est.“

<sup>1)</sup> de 29. junii 1881. — <sup>2)</sup> de 1. novembris 1885. — <sup>3)</sup> de 10. januarii 1890. — <sup>4)</sup> Encycl. *Diuturnum illud*.



Licet homo arrogantia et contumacia incitatus frenos imperii depellere saepe contenderit, numquam tamen assequi potuit, ut nemini pareret et „ut e mediis civitatibus politica potestas tolleretur“. Ast *homines perversi omnem conatum adhibebant „ad vim potestatis civilis elevandam, maiestatemque minuendam: idque maxime saeculo XVI., cum infesta opinionum novitas complures infatuavit.“*

„Post illud tempus . . . etiam *originem constitutionemque civilis hominum societatis visum est pro arbitrio confingere. Immo recentiores perplures . . . omnem iniquunt potestatem a populo esse, quare qui eam in civitate gerunt, ab iis non ut suam geri, sed ut a populo sibi mandatam.“* Quibus funestis erroribus opponi debet *vera de origine potestatis civilis doctrina nec non ostendi utilitas exinde pro humana promanans societate.*

### §. 1.

#### ***Proponitur vera doctrina.***

Praemittimus, hic non quaeri „de rerum publicarum modis: nihil enim est, cur non ecclesiae probetur aut unius aut plurium principatus, si modo iustus sit et in communem utilitatem intentus“. Neque repugnat doctrina catholica praesidem reipublicae per electionem a populo designari, „quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur iura principatus, neque mandatur imperium, sed statuitur, a quo sit gerendum.“

Quibus praemissis *docente ecclesia catholica statuimus imperium politicum a Deo proficisci, quod Sacrae Litterae, monumenta christianae vetustatis testantur, simulque ratio humana maxime probat.*

#### *1. Probatur e Scripturis.*

„Revera humani potentatus in Deo esse fontem, *libri veteris Testamenti* pluribus locis praeclare confirmant. „Per me reges regnant . . . per me principes imperant, et potentes



decernunt iustitiam.“<sup>1)</sup> Atque alibi: „Praebete aures vos, qui continetis nationes . . . , quoniam data est a Deo potestas vobis et virtus ab Altissimo.“<sup>2)</sup>

Ista tamen, quae homines Deo auctore didicerant, paulatim superstitione ethnica corrupta sunt; at postquam evangelium christianum affulsit, veritati vanitas cessit.

„Prae se ferenti atque ostentanti praesidi romano absolvendi condemnandi potestatem, *Christus Dominus* „non haberes, respondit, potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper.“<sup>3)</sup> Quem locum S. Augustinus explorans „discamus, inquit, quod dixit, quod et per *Apostolum* docuit, quia non est potestas nisi a Deo.“<sup>4)</sup> Ad Romanos principum ethnicorum imperio subiectos, Pauli est excelsa et plena gravitatis sententia: „Non est potestas nisi a Deo“; ex quo tamquam ex causa illud concludit: „Princeps Dei minister est.“<sup>5)</sup>

## 2. Probatur testimonio Ss. Patrum.

„*Ecclesiae Patres* hanc ipsam, ad quam fuerant instituti, doctrinam profiteri ac propagare diligenter studuerunt. „Non tribuamus, S. Augustinus ait, dandi regni et imperii potestatem, nisi vero Deo.“<sup>6)</sup>

„In eandem sententiam S. Joannes Chrysostomus „Quod principatus sint, inquit, et quod alii imperent, alii subiecti sint, neque omnia casu et temere ferantur . . . divinae esse sapientiae dico.“<sup>7)</sup> Id ipsum s. Gregorius Magnus testatus est inquit: „Potestatem imperatoribus ac regibus coelitus datam fatemur.“<sup>8)</sup> Immo sancti Doctores eadem praecepta etiam naturali rationis lumine illustranda susceperunt, ut vel iis, qui rationem solam ducem sequuntur, omnino videri recta et vera debeant.“

---

<sup>1)</sup> Prov. 8, 15. 16. — <sup>2)</sup> Sap. 6, 3. 4. — <sup>3)</sup> Tract. 116. in Joan. n. 5. — <sup>4)</sup> Joan. 19, 11. — <sup>5)</sup> Rom. 13, 1. 4. — <sup>6)</sup> De Civit. Dei I. 5. c. 21. — <sup>7)</sup> In epist. ad Rom. hom. 23. n. 1. — <sup>8)</sup> Epist. I. 2. ep. 61.



### 3. *Probatur ipsa ratione.*

„Et sane *homines in civili societate vivere natura iubet, seu verius auctor naturae Deus: quod perspicue demonstrant et maxima societatis conciliatrix loquendi facultas et innatae appetitiones animi per plures et res necessariae multae ac magni momenti, quas solitarii assequi homines non possunt, iuncti et consociati cum alteris assequuntur.*“

„Nunc vero *neque existere neque intelligi societas potest, in qua non aliquis temperet singulorum voluntates ut veluti unum fiat ex pluribus, easque ad commune bonum recte atque ordine impellat: voluit igitur Deus, ut in civili societate essent, qui multitudini imperarent.*“

„Atque illud etiam *magnopere valet, quod ii, quorum auctoritate respublica administratur, debent cives ita posse cogere ad parendum, ut his plane peccatum sit, non parere.* Nemo autem hominum habet in se aut ex se, unde possit huiusmodi imperii vinculis liberam ceterorum voluntatem constringere. Unice rerum omnium procreatori et legislatori Deo ea potestas est: quam qui exercent, tamquam a Deo sibi communicatam exercent necesse est. „Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare.“<sup>1)</sup> „Quod perspicitur idem in omni genere potestatis“ tum domesticae, tum civilis et ecclesiasticae.

*Errant ergo, qui ortum societatis civilis et imperii a libero hominum consensu petunt, cum manifestum sit, homines non esse solivagum genus, sed citra liberam ipsorum voluntatem ad naturalem communitatem natos: ac praeterea pactum, quod praedicant, est aperte commentitium et fictum, nec ad impertiendum valet politicae potestati tantum virium, dignitatis, firmitudinis, quantum tutela reipublicae et communes civium utilitates requirunt. Ea autem decora et praesidia universa tunc solum est habiturus principatus, si a Deo augusto sanctissimoque fonte manare intelligatur.*“

<sup>1)</sup> Jac. 4, 12.



## §. 2.

***Proponitur utilitas huius doctrinae.***

„Qua sententia non modo verior, sed ne utilior quidem reperiri ulla potest. Etenim potestas rectorum civitatis, si quaedam est divinae potestatis communicatio, ob hanc ipsam causam continuo adipiscitur dignitatem humana maiorem: non quidem illam impiam et perabsurdam imperatoribus ethnicis divinos honores affectantibus aliquando expetitam, sed veram et solidam, eamque dono quodam acceptam beneficioque divino.“ Uberrimi vero fructus ex hac doctrina pro societate civili emanant.

***1. Obedientia facilis.***

Si hac unice vera doctrina civium mentes imbuuntur, *discent cives „subesse et obedire principibus uti Deo* non tam poenarum formidine, quam verecundia maiestatis, neque assentationis causa, sed conscientia officii. Qua re stabit in suo gradu longe firmiter collocatum imperium. Etenim istius officii vim sentientes cives fugiant necesse est improbitatem et contumaciam, quia sibi persuasum esse debet, qui politicae potestati resistunt, hos divinae voluntati resistere, qui honorem recusant principibus, ipsi Deo recusare.“

„Ad hanc disciplinam Paulus apostolus Romanos nominatim erudiit, ad quos de adhibenda summis principibus reverentia scripsit tanta cum auctoritate et pondere, ut nihil gravius praecipi posse videatur. „Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo.... Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, sibi ipsi damnationem acquirunt. . . . Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter obedientiam.“ 1) Similiter docet S. Petrus, princeps apostolorum. 2)

---

1) Rom. 13, 1.—5. — 2) I. Petr. 2, 13.—15.



## 2. *An resistentia licita?*

Quaeritur, an legitimae potestati nunquam licitum sit resistere? *Causa non parendi non est nisi unica*, „si quid postuletur, quod cum naturali aut divino iure aperte repugnet: omnia enim, in quibus naturae lex vel Dei voluntas violatur, aequae nefas est imperare et facere.“ Si ergo quis cogatur aut Dei aut principum iussa negligere, tunc parendum est Jesu Christo, qui iubet „reddere quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo“ <sup>1)</sup>, atque „ad apostolorum exemplum animose respondendum: „Obedire oportet Deo magis quam hominibus.“ <sup>2)</sup> „Neque tamen est, cur abiecisse obedientiam, qui ita se gerant, arguantur: etenim si principum voluntas cum Dei pugnat voluntate et legibus, ipsi potestatis suae modum excedunt, iustitiamque pervertunt; neque eorum tunc valere potest auctoritas, quae, ubi iustitia non est, nulla est.“

## 3. *Ratio reddenda de usu potestatis.*

„Ut autem iustitia retineatur in imperio, illud magno-pere interest, eos, qui civitatem administrant, intelligere, non privati cuiusquam commodo politicam potestatem esse natam; procuracionemque reipublicae ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, geri oportere. Principes a Deo . . . , unde sibi auctoritas data, exempla sumant; eiusque imaginem sibi in administranda republica proponentes, populo praesint cum aequitate et fide et ad . . . severitatem paternam caritatem adhibeant.“

„Huius rei causa sacrarum Litterarum oraculis mōnentur, *sibimetipsis Regi regum et Domino dominantium aliquando rationem esse reddendam*; si officium deseruerint, fieri non posse, ut Dei severitatem ulla ratione effugiant. „Altissimus interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis . . . horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui praesunt fiet.“ <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Matth. 22, 21. — <sup>2)</sup> Act. 5, 29. — <sup>3)</sup> Sap. 6, 4.—9.



#### 4. *Seditionum causa tollitur.*

„Quibus praeceptis rempublicam tuentibus omnis seditionis vel causa vel libido tollitur: *in tuto futura sunt honos et securitas principum, quies et salus civitatum.* Dignitati quoque civium optime consulitur . . . intelligant enim . . . unum esse Dominum omnium, divitem in omnes, qui invocant illum, se autem idcirco . . . obtemperare principibus, quod imaginem referant Dei, cui servire regnare est.

#### §. 3.

#### ***Proponitur historia huius quaestionis.***

Historia docet *quieti nationum multum contulisse doctrinam christianam, falsas vero doctrinas magnas acerbitates hominibus attulisse.*

#### 1. *Tempora imperii Romani.*

Veram suam doctrinam ecclesia „instillare studuit mentibus populorum“ etiam illo tempore, „quo ad gubernacula reipublicae imperatores ethnici sederunt“.

„Pastores animarum, exempla Pauli apostoli renovantes, cura et diligentia summa populis praecipere consueverunt, „principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire“, <sup>1)</sup> item orare pro cunctis hominibus, sed nominatim pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt: hoc enim acceptum est coram Salvatore nostro Deo.“ <sup>2)</sup>

„Atque ad hanc rem omnino praeclara documenta christiani veteres reliquerunt: qui cum ab imperatoribus ethnicis crudelissime et iniustissime vexarentur, nunquam tamen praetermiserunt gerere se obedenter et submisse, plane ut illi crudelitate, isti obsequio certare viderentur . . . Quamobrem qui pro christiano nomine essent apud imperatores publice causam dicturi, ii hoc potissimum argumento iniquum esse convincebant in christianos animadvertere legibus, quod in oculis omnium convenienter legibus

<sup>1)</sup> Ad Tit. 3, 1. — <sup>2)</sup> I. Tim. 2, 1.—3.



in exemplum viverent . . . Tertullianus laudi christianis aperte dabat, quod amici essent imperio optimi et certissimi ex omnibus: „Christianus nullius est hostis, nedum imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est, ut ipsum diligat et revereatur et honoret et salvum vellet cum toto imperio romano . . .“ 1)

„Alia sane tum causa erat, cum a fide christiana, aut quoque modo ab officio deficere imperatorum edictis ac praetorum minis iuberentur: quibus temporibus profecto displicere hominibus quam Deo maluerunt. Sed in iis ipsis rerum adiunctis tantum aberat, ut quicquam seditiose facerent maiestatemque imperatoriam contemnerent, ut hoc unum sibi sumerent sese profiteri et christianos esse et nolle mutare fidem ullo modo. Ceterum nihil de resistendo cogitabant, sed placide atque hilare sic ibant ad tortoris equuleum, ut magnitudini animi cruciatuum magnitudo cederet“ . . .

## 2. *Tempora principum christianorum.*

„Postea vero quam republicae principes christianos habuerunt, multo magis ecclesia testificari ac praedicare institit, quantum in auctoritate imperantium esset sanctitatis, ex quo futurum erat, ut populis, cum de principatu cogitarent, sacrae cuiusdam maiestatis species occurreret, quae ad maiorem principum cum verecundiam, tum amorem impelleret. Atque huius rei causa sapienter providit, ut reges sacrorum solemnibus initiarentur, quod erat in Testamento veteri Dei auctoritate constitutum.“

„Quo autem tempore civilis hominum societas, tamquam e ruinis excitata imperii romani, in spem christianaе magnitudinis revixit. Pontifices romani, instituto imperio sacro, politicam potestatem singulari ratione consecraverunt. Maxima quidem ea fuit nobilitatis ad principatum accessio: neque dubitandum, quin magnopere illud institutum et religiosae et civili societati semper fuisset profuturum, si quod ecclesia spectabat, idem principes et populi semper spectavissent.“

1) Apolog. n. 35.



„Et sane quietae res et satis prosperae premanserunt, quamdiu inter utramque potestatem concors amicitia permansit. Si quid tumultuando peccarent populi, praesto erat conciliatrix tranquillitatis ecclesia, quae singulos ad officium vocaret, vehementioresque cupiditates partim lenitate, partim auctoritate compesceret. Similiter si quid in gubernando peccarent principes, tum ipsa ad principes adire et populorum iura, necessitates, recta desideria commemorando, aequitatem, clementiam, benignitatem suadere. Qua ratione pluries est impetratum, ut tumultuum et bellorum civilium pericula prohiberentur.“

### 3. *Tempora recentiora.*

„*Inventae autem a recentioribus de potestate politica doctrinae magnas iam acerbitates hominibus attulerunt, metuendumque ne extrema malorum afferant in posterum.* Etenim ius imperandi nolle ad Deum referre auctorem, nihil est aliud, quam politicae potestatis et pulcherrimum splendorem velle deletum et nervos incisos. Quod autem iniquiunt ex arbitrio illam pendere multitudinis, primum opinione falluntur, deinde nimium levi et flexibili fundamento statuunt principatum. His enim opinionibus quasi stimulis incitatae populares cupiditates sese efferent insolentius, magnaque cum pernicie reipublicae ad caecos motus, ad apertas seditiones proclivi cursu et facile dilabentur.“

„Revera illam, quam reformationem vocant, cuius adiutores et duces sacram civilemque potestatem novis doctrinis funditus oppugnaverunt, repentini tumultus et audacissimae rebelliones praesertim in Germania consecutae sunt.“ . . .

„Ex illa haeresi ortum duxit saeculo superiore falsi nominis philosophia et ius, quod appellant novum et imperium populare (Volkssouveränität) et modum nesciens licentia, quam plurimi solam libertatem putant. Ex his ad finitimas pestes ventum est, scilicet ad communismum, ad socialismum, ad nihilismum, civilis hominum societatis teterrima portenta



ac pene funera. Atqui tamen tantorum malorum vim nimis multi dilatare conantur, ac per speciem iuvandae multitudinis non exigua iam miseriarum incendia excitaverunt.“

#### 4. *Remedia contra errores.*

„Hoc vero est etiam gravius, quod *non habent principes in tantis periculis remedia ad restituendam publicam disciplinam pacandosque animos satis idonea*. Instruunt se *auctoritate legum*, eosque, qui rempublicam commovent, *severitate poenarum* coercendos putant. Recte quidem: *sed tamen serio considerandum est, vim nullam poenarum futuram tantam, quae conservare respublicas sola posset*. Metus enim, ut praeclare docet S. Thomas, est debile fundamentum; nam qui timore subduntur, si occurrat occasio, qua possint impunitatem sperare, contra praesidentes insurgunt eo ardentius, quo magis contra voluntatem ex solo timore cohibebantur. Ac praeterea ex nimio timore plerique in desperationem incidunt, desperatio autem audacter ad quaelibet attentanda praecipitat.<sup>1)</sup>

„Itaque obediendi altiore et efficaciore causam adhibere necesse est, atque *omnino statuere, nec legum esse posse fructuosam severitatem, nisi homines impellantur officio, salutarique metu Dei permoveantur*. Id autem impetrare ab iis maxime *religio* potest, quae sua vi in animos influit, ipsasque hominum flectit voluntates, ut eis, a quibus ipsi reguntur, non obsequio solum, sed etiam benevolentia et caritate adhaerescant, quae est in omni hominum coetu optima custos incolumitatis.“

#### 5. *Merita romanorum pontificum.*

„Quamobrem egregie *pontifices romani* communi utilitati servisse iudicandi sunt, quod novatorum frangendos semper curaverunt tumidos inquietosque spiritus, ac per saepe monuerunt, quantum ii sint civili etiam societati periculosi.“ Pontifices Clemens VII., Clemens XII., Benedictus XIV.,

<sup>1)</sup> De regim. princip. l. 1. cp. 10.



Leo XII., oppositu auctoritatis suae aditum falsis doctrinis de potestate civili intercludere conati sunt. Quibus enumeratis Leo XIII. prosequitur:

„Nos ipsi pluries denuntiavimus, quam gravia pericula impendeant, simulque indicavimus, quae sit eorum propulsandorum ratio optima.“

*Principibus ceterisque rerum publicarum moderatoribus praesidium religionis obtulimus, populosque hortati sumus, ut summorum bonorum copia, quam ecclesia suppeditat, maxime uterentur. . . . Et nunc principes vehementer in Domino hortamur, ut religionem tueantur, et, quod interest etiam reipublicae ea ecclesiam libertate frui posse sinant, qua sine iniuria et communi pernicie privari non potest.“*

## Cap. II.

### De relatione ecclesiam inter et civitatem.

Postquam Leo Pp. XIII. in Encyclica „Diuturnum illud“ de origine potestatis civilis, deque funestis erroribus, quibus respublicae perturbatae sunt, disputavit, novam Encyclicam „*Immortale Dei*“ promulgavit, in qua repetita doctrina de origine potestatis civilis *uberius de relatione ecclesiam inter et civitatem sermocinatur.*

#### §. 1.

#### ***Forma civitatis christianae.***<sup>1)</sup>

„Non est magni negotii *statuere*, ait Summus Pontifex, *qualem sit speciem formamque habitura civitas, gubernante christiana philosophia rempublicam.*“

#### *1. Principatus in societate civili.*

„Insitum homini natura est, continuat Leo XIII., ut in civili societate vivat; is enim necessarium vitae cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in

<sup>1)</sup> Encycl. *Immortale Dei.*



solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad coniunctionem congregationemque hominum nasceretur cum domesticam, tum etiam civilem, quae suppeditare vitae sufficientiam perfectam sola potest. Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem, qua regatur; quae non secus ac societas, a natura proptereaque a Deo ipso oriatur auctore.“

„Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo, qui solus est maximus rerum dominus ita, „ut quicumque ius imperandi habent, non nisi a Deo, summo omnium principe, illud accipiant.“

„Jus autem imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum: aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem. Sed in quolibet genere reipublicae omnino principes debent summum mundi gubernatorem Deum intueri, eumque sibimetipsis in administranda civitate tamquam exemplum legemque proponere. . . .“

„Debet igitur imperium iustum esse, neque herile, sed quasi paternum, quia Dei iustissima in homines potestas est et cum paterna bonitate coniuncta: gerendum vero est ad utilitatem civium, quia qui praesunt ceteris, hac una de causa praesunt, ut civitatis utilitatem tueantur. . . .“ Non „unius vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit.“

„Quod si, qui praesunt, delabantur in dominatum iniustum, si importunitate superbiae peccaverint, si male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam. . . .“

„Ita sanè maiestatem imperii reverentia civium libens et honesta comitabitur. Etenim, cum semel in animum induxerint, pollere, qui imperant, auctoritate a Deo data, illa quidem officia iusta et honesta esse sentient, dicto audientes esse principibus, eisdemque obsequium ac fidem praestare



cum quadam similitudine pietatis, quae liberorum est erga parentes. . . .“

„Spernere potestatem legitimam . . . non magis licet, quam divinae voluntati resistere: cui si qui resistant, in interitum ruunt voluntarium. „Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.“<sup>1)</sup> Quapropter obedientiam abiicere et per vim multitudinis rem ad seditionem vocare est crimen maiestatis neque humanae tantum, sed etiam divinae.“

## 2. Religio in civitate christiana.

„Hac ratione constitutam civitatem, perspicuum est, omnino debere plurimis atque maximis officiis, qua ipsam iungunt Deo, religione publica satisfacere.“

„Natura et ratio, quae iubet vel singulos sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus, et ab eo profecti ad eundem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societati coniuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli; neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti . . . religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus iusserit . . .: eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere, aut asciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat: omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se ipse Deus demonstravit velle.“

„Sanctum igitur oportet apud principes esse *Dei nomen*; ponendumque in *praecipuis eorum officiis religionem gratia complecti*, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum

<sup>1)</sup> Rom. 13, 2.



tegere, nec quippiam instituere aut decernere, quod sit eius incolumitati contrarium.“

„*Id et civibus debent, quibus praesunt.*“ Obligati sunt omnes homines tendere ad aeternam felicitatem in coelis, quae obligatio prima omnium est atque summa. Ideo „civilis societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono, quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes, quascunque possit, opportunitates afferat; quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cuius officia hominem Deo coniungunt.“

„Vera autem religio, quae sit, non difficulter videt, qui iudicium prudens sincerumque adhibuerit: argumentis enim permultis atque illustribus... liquet, eam esse unice veram, quam Jesus Christus et instituit ipsemet et ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit.“

### 3. *Ecclesia in civitate christiana.*

„Unigenitus Dei Filius societatem in terris constituit, quae *ecclesia* dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod ipse a Patre acceperat... Ipse magistratus designavit, qui multitudini cum potestate praesent: unumque omnium principem et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni coelorum commisit: „Tibi dabo claves regni coelorum. 1)... Pasce agnos meos... , pasce oves meas. 2)... Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.“ 3)

„*Haec societas*, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum atque instrumenta, quibus ad finem contendit, *supernaturalis est et spiritualis: atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili: et, quod plurimum interest, societas*

1) Matth. 16, 19. — 2) Joan. 10, 10. — 3) Joan. 21, 16. 17.



*est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis, quo tendit ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia.*“

„Revera Jesus Christus apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adiuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur, iudicandi puniendique potestate. . . .“

„Itaque *dux hominibus esse ad coelestia non civitas sed ecclesia debet*: eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut de iis, quae religionem attingunt, videat ipsa et statuatur: ut doceat omnes gentes . . . brevi, ut rem christianam libere expediteque iudicio suo administret.“

„Hanc vero auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui iuris, quae ab assentatrice principum philosophia iamdiu oppugnatur, ecclesia sibi asserere itemque publice exercere nunquam desiit. . . . .“ *Apostoli, sancti Patres, romani-que Pontifices* adversus oppugnatores illam vindicare nunquam omiserunt. Quin etiam *principes* rerumque publicarum gubernatores eam opinione et re probarunt, „ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque recipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum ecclesia tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt. Neque profecto sine singulari providentis Dei consilio factum esse censendum est, ut haec ipsa potestas principatu civili, velut optima libertatis suae tutela, muniretur.

#### 4. *Relatio inter ecclesiam et civitatem.*

„Itaque *Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est*, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cuiusque natura causaque proxima definitos, unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur.“



„Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usuvenire possit, ut res una atque eadem, quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque ius iudiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. „Quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.“<sup>1)</sup> Quod ni ita esset, funestarum saepe contentionum concertationumque causae nascerentur; nec raro sollicitus animo, velut in via ancipiti, haerere homo deberet, anxius quid facto opus esset, contraria iubentibus binis potestatibus, quarum recusare imperium salvo officio non potest. Atqui maxime istud repugnat de sapientia cogitare et bonitate Dei . . .“

„Itaque *inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio*: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari non potest, nisi respiciendo . . . ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis causarum; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri coelestia et sempiterna bona comparare.“

„Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam, ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque ecclesiae; cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Jesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo.“

„Incidunt autem quandoque tempora, cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui *principes rerum publicarum et Pontifex romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint*.“

<sup>1)</sup> Rom. 13, 1.



5. *Fructus ordinatae relationis.*

„Talis conformatio reipublicae nihil habet, quod possit aut minus videri dignum amplitudine principum aut parum decorum: *tantum abest, ut iura maiestatis imminuat, ut potius stabiliora atque augustiora faciat*“ Immo habet illa conformatio perfectionem quandam, qua carent ceteri modi; ex eaque, si rite observaretur, fructus essent excellentes consecuturi.

„Revera in tali constitutione *reipublicae sunt quidem divina atque humana convenienti ordine partita*: incolumia civium iura, eademque divinarum, naturalium, humanarumque legum patrocinio defensa: officiorum singulorum cum sapienter constituta descriptio, tum opportune sancita custodia.“

„*Singuli homines . . . sciunt sibi in via ad aeternam civitatem praesto esse*“ duces et adiutores, quibus certo confidere possint; pariterque intelligunt, alios sibi datos esse ad securitatem, ad fortunas, ad commoda cetera vel parienda vel conservanda.

„*Societas domestica* eam, quam par est, firmitudinem adipiscitur ex unius atque individui sanctitate coniugii: iura et officia inter coniuges sapienti iustitia et aequitate reguntur: debitum conservatur mulieri decus: auctoritas viri ad exemplum est auctoritatis Dei conformata: temperata patria potestas convenienter dignitati uxoris prolisque: denique liberorum tuitioni, commodis, institutioni optime consulitur.“

„In *genere rerum politico et civili* leges spectant commune bonum, neque voluntate iudicioque fallaci multitudinis, sed veritate iustitiaque diriguntur; auctoritas principum sanctitudinem quamdam induit humana maiorem, continenturque, ne declinet a iustitia, seu modum in imperando transiliat; obedientia civium habet honestatem dignitatemque comitem, quia non est hominis ad homines servitus, sed obtemperatio voluntati Dei, regnum per homines exercentis. Quo cognito ac persuaso, omnino ad iustitiam pertinere illa intelliguntur: vereri maiestatem principum, subesse



constanter et fildeliter potestati publicae, nihil seditiose facere, sanctam servare disciplinam civitatis.“

„Similiter ponitur *in officiis caritas mutua, benignitas, liberalitas*: non distrahitur in contrarias partes, pugnanti-  
bus praeceptis, cives idem et christianus; denique amplis-  
sima bona, quibus mortalem quoque hominum vitam chri-  
stiana religio sua sponte explet, communitati societatique  
civili omnia quaeruntur . . .“

§. 2.

***Oppugnatio civitatis christianae.***

Exposita theoria de forma et felici vita civitatis chri-  
stianae Summus *Pontifex duce historia depingit fata eius-*  
*dem per decursum temporum, nec non funesta mala, quae*  
*diruta civitate christiana in populos promanavere.*

***1. Bona vigente civitate christiana.***

„Fuit aliquando tempus, prosequitur Leo XIII., cum  
evangelica philosophia gubernaret civitates: quo tempore  
christianae sapientiae vis illa et divina virtus in leges; in-  
stituta, mores populorum, in omnes reipublicae ordines  
rationesque penetraverat: cum religio per Jesum Christum  
instituta in eo, quo aequum erat, dignitatis gradu firmiter  
collocata, gratia principum legitimaque magistratuum tutela  
ubique floreret: cum sacerdotium atque imperium concordia  
et amica officiorum vicissitudo . . . coniungeret. Eo modo  
composita civitas fructus tulit omni opinione maiores, quo-  
rum viget memoria et vigebit innumerabilibus rerum ge-  
starum consignata monumentis, quae nulla adversariorum  
arte corrumpi aut obscurari possunt.“

„Quod Europa barbaras gentes edomuit, easque a  
feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem  
traduxit; quod Maomethanorum incursiones victrix pro-  
pulsavit; quod civilis cultus principatum retinuit, et ad  
omne decus humanitatis ducem se magistramque praebere  
ceteris consuevit; quod germanam libertatem eamque mul-



tiplicem gratificata populis est; quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adiutricem.“

„Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset: maioraque exspectari iure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consilii ecclesiae maiore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum . . .“

## 2. *Perniciosa rerum novarum studia.*

„Sed perniciosa illa ac deploranda rerum novarum studia, quae saeculo XVI. excitata sunt, *cum primum religionem christianam miscuissent, mox naturali quodam itinere ad philosophiam, a philosophia ad omnes civilis communitatis ordines pervenerunt.* Ex hoc velut fonte repentina illa recentiora *effrenatae libertatis* capita, in maximis perturbationibus superiore saeculo excogitata in medioque proposita perinde ac principia et fundamenta novi iuris, quod . . . a iure non solum christiano, sed etiam naturali . . . discrepat.“

„Eorum principiorum illud est maximum, *omnes homines, quemadmodum genere naturaque similes intelliguntur, ita reapse esse in actione vitae inter se pares: unumquemque ita esse sui iuris, ut nullo modo sit alterius auctoritati obnoxius; cogitare de re qualibet quae velit, agere quod lubeat, libere posse; imperandi aliis ius esse in nemine.*“

„His informata disciplinis societate, *principatus non est nisi populi voluntas*, qui, ut in sui ipsius unice est potestate, ita sibimetipsi solus imperat: deligit autem, quibus se committat, ita tamen imperii non tam ius, quam munus in eos transferat, idque suo nomine exercendum. In *silentio iacet dominatio divina*, non secus ac vel Deus nullus esset, aut humani generis societatem nihil curaret; vel homines sive singuli sive sociati nihil Deo deberent, vel principatus cogitari possit ullus, cuius non in Deo ipso causa et vis et auctoritas tota resideat.“



„Quo modo . . . est respublica nihil aliud quam multitudo magistra sui et gubernatrix; cumque populus omnium iurium omnisque potestatis fontem in se ipso continere dicatur, consequens erit, ut *nulla ratione officii obligatam Deo se civitas putet*, ut religionem publice profiteatur nullam, nec debeat ex pluribus, quae vera sola sit, quae-rere, nec ullam ceteris antepone, nec uni maxime favere, sed singulis generibus aequabilitatem iuris tribuere . . . Consentaneum erit, *iudicio singulorum permittere omnem de religione quaestionem*, licere cuique aut sequi quam ipse malit, aut omnino nullam, si nullam probet. Hinc profecto *illa nascuntur: exlex uniuscuiusque conscientiae iudicium, liberrimae de Deo colendo, de non colendo, sententiae, infinita tum cogitandi, tum cogitata publicandi licentia.*

### 3: *Ecclesia depressa.*

Quibus doctrinis, quae maxime probantur hoc tempore, positis tamquam fundamentum reipublicae, *facile apparet, quem in locum quamque iniquum compellatur ecclesia.*

„Nam, ait Leo XIII., ubi eiusmodi doctrinis actio rerum consentiat, nomini catholico par cum societatibus ab eo alienis vel etiam inferior locus in civitate tribuitur; legum ecclesiasticarum nulla habetur ratio; ecclesia, quae iussu mandatoque Jesu Christi docere omnes gentes debet, publicam populi institutionem iubetur nihil attingere.“

Deinde Summus Pontifex describit, quomodo talis civitas eo tendat, ut ecclesiae omnia iura arripiat, ut ipsum matrimonium ad suum forum trahat, ut possessiones ecclesiae restringat, ut pactiones ecclesiam inter et civitatem dirimat, ecclesiam omnino impotem reddat.

„Id vero, concludit Leo XIII., cum patienter ferre ecclesia non possit, neque enim potest officia deserere sanctissima et maxima, . . . saepe sacram inter et civilem potestatem dimicationes nascuntur, quarum ille ferme est exitus, alteram, ut quae minus est opibus humanis valida, alteri ut validiori succumbere.“



Quae publice aguntur, eo consilio magnam partem aguntur, ut ecclesia de medio pellatur, vel saltem victa adstrictaque imperio teneatur. „Leges, administratio civitatum, expers religionis adolescentium institutio, spoliatio excidiumque ordinum religiosorum, eversio principatus civilis Pontificum romanorum, huc spectant omnia: incidere nervos institutorum christianorum, ecclesiaeque catholicae et libertatem in angustum deducere et iura cetera comminuere.“

#### 4. Putridi fructus errorum.

„Eiusmodi de regenda civitate sententia ipsa naturalis ratio vincit, a veritate dissidere plurimum. Quidquid enim potestatis usquam est, a Deo tamquam maximo augustissimoque fonte proficisci, ipsa natura testatur. Imperium autem populare, quod nullo ad Deum respectu in multitudine inesse natura dicitur, si praeclare ad suppeditandum valet blandimenta et flammam multarum cupiditatum, nulla quidem nititur ratione probabili, neque *satis habere virium potest ad securitatem publicam quietamque ordinis constantiam*. Revera his doctrinis res inclinavere usque eo, ut haec a pluribus tamquam lex in civili prudentia sanciantur, seditiones posse iure conflare. Valet enim opinio, nihilo principes plures esse, quam delectos quosdam, qui voluntatem popularem exequantur: ex quo fit, quod necesse est, ut omnia sint pariter cum populi arbitrio mutabilia et timor aliquis turbarum semper impendeat.“

„De religione autem putare, nihil inter religiones dispares et contrarias interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare iudicio, nolle usu. Atqui istud *ab atheismo*, si nomine aliquid differt, *re nihil differt*.“ Nam quibus Deum esse persuasum est, ii necessario intelligunt, religiones varias et dissimiles aequae bonos esse non posse.

„Sic illa *quidlibet sentiendi litterarumque formis quidlibet exprimendi facultas*, omni moderatione posthabita, non quoddam est propria vi sua bonum, quo societas humana iure laetetur, sed *multorum malorum fons et origo*. Liber-



tas, ut quae virtus est hominem perficiens, debet in eo, quod verum sit, quodque bonum versari: boni autem et veri ratio . . . incommutabilis est. Si mens assentiatur opinionibus falsis, si malum voluntas adsumat . . . excidunt dignitate naturali et in corruptelam ambae delabuntur. *Quaecunque sunt igitur virtuti veritatisque contraria, ea in luce atque in oculis hominum ponere non est aequum; gratia tutelave legum defendere, multo minus.* Sola bene acta vita via est in coelum, quo tendimus universi: ob eamque rem aberrat civitas a regula et praescriptione naturae, si . . . impune sinat mentes a veritate, animos a virtute deducere.“

*Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, magnus et perniciosus est error. Bene morata civitas esse, sublata religione non potest . . .“*

Leo XIII. affirmat magnam iniuriam, immo temeritatem esse ecclesiam in suorum officiorum munere velle subiicere potestati civili; nam hoc facto ordo perturbaretur quia naturalia praeponerentur supernaturalibus, praetereaque via sterneretur ad inimicitias et certamina, quae utrique reipublicae magnam perniciem afferre solent.

### 5. *Doctrina romanorum Pontificum.*

„Huiusmodi doctrinas, quae nec humanae rationi probantur, et plurimum habent in civilem doctrinam momenti, romani Pontifices, ait Leo XIII., impune abire nequaquam passi sunt.“ Doctrinae falsae a Gregorio XVI. per encyclicas litteras hoc initio „Mirari vos“ die 15. Augusti 1832, dein a Pio IX. in Syllabo errorum damnatae fuerunt.

„Quibus tamen decretis, docet Leo XIII., si recte diudicari velit, *nulla per se reprehenditur ex variis reipublicae formis*, ut quae nihil habent, quod doctrinae catholicae repugnet, eaedemque possunt, si sapienter adhibeantur et iuste, in optimo statu tueri civitatem.“

„Immo *neque illud per se reprehenditur, participem plus minus esse populum reipublicae*: quod ipsum certis



in temporibus certisque legibus potest non solum ad utilitatem, sed etiam ad officium pertinere civium.“

„Insuper neque causa iusta nascitur, cur ecclesiam quisquam criminetur, aut esse in lenitate facilitateque plus aequo restrictam, aut ei, quae *germana et legitima* sit, libertati inimicam. Revera, si divini cultus varia genera eodem iure esse, quo veram religionem, ecclesia iudicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicuius aut adipiscendi boni, aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum. Atque illud magnopere cavere ecclesia solet, ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur . . .“

„Simili ratione nec potest ecclesia libertatem probare eam, quae fastidium gignat sanctissimarum legum, debitamque potestati legitimae obedientiam exuat. Est enim licentia verius, quam libertas . . . Contra illa *germana est atque expetenda libertas*, quae si *privatim* spectetur, erroribus et cupiditatibus . . . hominem servire non sinit; si *publice*, civibus sapienter praeest, facultatem commodorum augendorum large ministrat, remque publicam ab alieno arbitrio defendit. Atque honestam hanc et homine dignam libertatem ecclesia probat . . .“

„Sibi perpetuo consentiens, si ex altera parte libertatem respuit immodicam, quae et privatis et populis in licentiam vel in servitutem cadit, ex altera *volens et libens amplectitur res meliores*, quas dies afferat, si vere prosperitatem contineant huius vitae, quae quoddam est velut stadium ad alteram eamque perpetuo mansuram. Ergo quod iniquiunt, ecclesiam recentiori civitatum invidere disciplinae, et quaecumque horum temporum ingenium peperit, omnia promiscue repudiare *inanis est et ieiuna calumnia*.“

„Insaniam quidem repudiat opinionum, improbat nefaria seditio- num studia, illumque nominatim habitum animorum, in quo initia perspiciuntur voluntarii discessus a Deo: sed quia omne, quod verum est, a Deo proficisci necesse est, quidquid indagando veri attingatur, agnoscit



ecclesia velut quoddam divinae mentis vestigium . . . et quidquid accedat ad scientiarum fines proferendos, gaudente et libente ecclesia semper accedet; eademque studiose, ut solet, sicut alias disciplinas, ita illas etiam fovebit ac provehet, quae positae sunt in *explicatione naturae* . . .“

Quam praeclare Leo XIII. ecclesiam in sua ad civitatem relatione eiusque molimina descripsit atque defendit!

## Cap. III.

### Officia civium catholicorum.

Quum per totum orbem terrarum tam funesti errores spargantur, veritas vero obnubiletur et quum exinde deplorabiles perturbationes iam exortae, graviore pertimescendae sint, „*remedium*, ait Leo XIII., unde oportet quaerendum est: *videlicet christiana sentiendi agendique ratio in vita privata, in omnibus reipublicae partibus restituatur necesse est*; hoc remedium *unicum* est ad pellenda mala, quae premunt, et ad prohibenda pericula, quae impendunt, aptum.“ His praemissis Summus Pontifex expresse loquitur de variis officiis civium catholicorum, et quidem in encyclica „*Sapientiae christianae*“, quam nunc persequi volumus.

§. 1. <sup>1)</sup>

#### *Cognitio et defensio fidei.*

„Cum Jesus Christus, docet Leo XIII. in praelaudatis litteris encyclicis, praedicare evangelium apostolos iussit omni creaturae, hoc pariter *officium hominibus universis imposuit, ut perdicerent et crederent, quae docerentur*. „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.“<sup>2)</sup>

„Sed *christianam fidem homo, ut debet, complexus, hoc ipso ecclesiae ut ex ea natus subiicitur, eiusque fit*

<sup>1)</sup> Encycl. Sapientiae christianae. — <sup>2)</sup> Marc. 16, 16.



*societatis maximae sanctissimaeque particeps, quam summa cum potestate regere sub invisibili capite Christo Jesu romani Pontificis proprium est munus.*“ Quid inde sequitur?

### 1. *Amor erga ecclesiam et patriam.*

„Si civitatem, prosequitur Summus Pontifex, in qua editi susceptique in hanc lucem sumus, praecipue diligere tuerique iubemur lege naturae usque eo, ut civis bonus vel mortem pro patria oppetere non dubitet, officium est christianorum longe maius simili modo esse in ecclesiam semper affectus.“

„Est enim ecclesia civitas sancta Dei viventis, Deo ipso nata, eodemque auctore constituta, quae peregrinatur quidem in terris, sed vocans homines et erudiens atque deducens ad sempiternam in coelis felicitatem. Adamanda igitur patria est, unde vitae mortalis usuram accepimus, sed necesse est caritate ecclesiam praestare, cui vitam animae debemus perpetuo mansuram, quia bona animi corporis bonis rectum est antepone, multoque, quam erga homines, sunt erga Deum officia sanctiora.“

„Ceterum, vere si iudicare volumus, *supernaturalis amor ecclesiae patriaeque caritas naturalis, geminae sunt ab eodem sempiterno principio profectae caritates*, cum ipse sit utriusque auctor et causa Deus; ex quo consequitur, non posse alterum officium pugnare cum altero. Utique utrumque possumus et debemus, diligere nosmetipsos, benevolentes esse cum proximis, amare rempublicam potestatemque, quae rei publicae praesit, eodemque tempore ecclesiam colere uti parentem, et maxima, qua fieri potest, caritate complecti Deum.

### 2. *Obediendum magis Deo, quam hominibus.*

„Nihilominus . . . *incidunt causae, cum aliud videtur a civibus respublica, aliud a christianis religio postulare*; idque non alia sane de causa, quam quod rectores reipublicae sacram ecclesiae potestatem aut nihil pensi habent,



aut sibi volunt esse subiectam. Hinc et certamen existit, et periclitandae virtuti in certamine locus. Urget enim potestas duplex: quibus contraria iubentibus obtemperari simul utriusque non potest: „Nemo potest duobus dominis servire.“ 1) Ast cui ex his duobus serviendum?

„Dubitare nemo debet. Nam scelus est ab obsequio Dei, satisfaciendi hominibus causa, discedere; nefas Jesu Christi leges, ut pareatur magistratibus, perrumpere, ast, per speciem civilis conservandi iuris, iura ecclesiae migrare. „*Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.*“ 2) Quodque olim magistratibus non honesta imperantibus Petrus ceterique apostoli respondere consueverunt, idem semper est in causa simili sine haesitatione respondendum. *Nemo cives pace bello melior, quam christianus sui memor officii: sed perpeti omnia potius et ipsam malle mortem debet, quam Dei ecclesiae causam deserere.*“

„Quapropter non habent vim naturamque legum probe perspectam, qui istam in delectu officii constantiam reprehendunt et ad seditionem aiunt pertinere. . . . non enim abiicitur principi legumque latoribus obedientia debita, sed ab eorum voluntate in iis dumtaxat praeceptis disceditur, quorum ferendorum nulla potestas est, quia cum Dei iniuria feruntur, ideoque vacant iustitia et quidvis potius sunt, quam leges. . . .“

### 3. *Studium christianae doctrinae.*

„Quam acre adversus ecclesiam bellum deflagaverit, quamque multiplex, vix attinet hoc loco dicere. Quod enim rationi contigit quamplures res occultas et a natura involutas scientiae pervestigatione reperire, easque in vitae usus apte convertere, tantos sibi spiritus sumpsere homines, ut iam se putent nomen posse imperiumque divinum a communi vita depellere. Quo errore decepti transferunt in naturam humanam ereptum Deo principatum: a natura petendum omnis veri principium et normam praedicant, ab ea manare,

1) Matth. 6, 24. — 2) Act. 5, 29.



ad eamque esse cuncta religionis officia referenda. Quocirca nihil esse divinitus traditum: non disciplinae morum christianae, non ecclesiae parendum; nullam huic esse legum ferendarum potestatem, nulla iura; immo nec ullum ecclesiae dari in reipublicae institutis locum oportere. Expetunt vero atque omni ope contendunt capessere res publicas et ad gubernacula sedere civitatum, quo sibi facilius liceat ad has doctrinas dirigere leges moresque fingere populorum. Ita passim catholicum nomen oppugnatur, magnaque cuilibet errorum perversitati permessa licentia multis vinculis publica veritatis christianae professio constringitur.“

„His igitur tam iniquis rebus primum omnium respicere se quisque debet, vehementerque curare, ut alte comprehensam animo fidem intenta custodia tueatur cavendo pericula, nominatimque contra varias sophismatum fallacias semper armatus. Ad cuius incolumitatem virtutis illud etiam perutile et magnopere *consentaneum temporibus iudicamus, studium diligens . . . in christiana doctrina ponere, earumque rerum, quae religionem continent, quasque assequi ratione licet, maiore qua potest notitia mentem imbuere.*“

„Cumque fidem non modo vigere in animis incorruptam, sed assiduis etiam incrementis oporteat augescere, *iteranda ad Deum est supplex atque humilis apostolorum flagitatio: „adauge nobis fidem!“* 1)

#### 4. Defensio et professio fidei.

„Verum, quod fidem christianam attingit, alia sunt officia, quae observari . . . si salutis semper interfuit, hac tempestate nostra interest maxime. Nimirum in hac, quam diximus, tanta ac tam late fusa opinionum insania, *perfecto patrocinium suscipere veritatis erroresque ex animis evellere, ecclesiae munus est.* . . . At vero, cum necessitas cogit, incolumitatem fidei tueri non ii solum debent, qui praesunt, sed *„quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium sive confirmationem, vel ad*

1) Luc. 18, 5.



reprimendum infidelium insultationes.“ 1) Cedere hosti vel vocem premere, cum tantus undique opprimendae veritati tollitur clamor, aut inertis hominis est, aut de iis, quae profitetur, utrum vera sint, dubitantis. Utrumque turpe, atque iniuriosum Deo, utrumque cum singulorum tum communi saluti repugnans: solis fidei inimicis fructuosum, quia *valde auget remissior proborum opera audaciam improborum*. Eoque magis christianorum vituperanda segnities, quia falsa crimina dilui, opinionesque pravae confutari levi negotio, ut plurimum possunt, maiore aliquo cum labore semper possunt.“

„Ad extremum, nemo unus prohibetur eam adhibere et prae se ferre *fortitudinem, quae propria est christianorum: qua ipsa non raro animi adversariorum et consilia franguntur*. Sunt praeterea *christiani ad dimicationem nati*, cuius quo maior est vis, eo certior, Deo opitulante, victoria. „Confidite, ego vici mundum.“ 2) Neque est, quod opponat quisquam, ecclesiae conservatorem et vindicem Jesum Christum nequaquam opera hominum indigere. Non enim inopia virium, sed magnitudine bonitatis vult ille, ut aliquid a nobis conferatur operae ad salutis, quam ipse peperit, obtinendos . . . . fructus.“

„Huius partes officii primae sunt, catholicam doctrinam *profiteri aperte et constanter, eamque . . . propagare*. Nam quod saepius est verissimeque dictum, christianae quidem sapientiae nihil tam obest, quam non esse cognitam. Valet enim per se ipsa ad depellendos errores probe percepta: quam si mens arripuerit simplex praeiudicatisque non adstricta opinionibus, assentiendum esse ratio pronuntiat. . . . Quoniam vero fides ad salutem est necessaria, omnino praedicari verbum Christi consequitur oportere.“

„Profecto praedicandi, hoc est docendi, munus iure divino penes magistros est, quos Spiritus Sanctus posuit regere ecclesiam Dei“ 3), maxime penes Pontificem romanum,

1) S. Thom. II. II. q. 3. a. 2. ad 2. — 2) Jo. 16, 33. — 3) Act. 20, 28.



Jesu Christi vicarium, ecclesiae universae summa cum potestate praepositum, credendorum, agendorum magistrum. *Nihilominus nemo putet, industriam nonnullam eadem in re ponere privatos prohiberi, eos nominatim, quibus ingenii facultatem Deus cum studio bene merendi dedit: qui, quoties res exigat, commode possunt non sane doctoris sibi partes assumere, sed ea, quae ipsi acceperint, impertire ceteris, magistrorum voci resonantes tamquam imago.*“

„Quin immo, *privatorum opera visa est Patribus Concilii Vaticani usque adeo opportuna ac frugifera, ut prorsus deprecendam iudicarent.* „Omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt, vel docendi munere funguntur, per viscera Jesu Christi obtestamur, nec non eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a sancta ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.“<sup>1)</sup>

„Ceterum serere fidem catholicam auctoritate exempli, professionisque constantia praedicare, quisque se posse ac debere meminerit. In *officiis igitur, quae nos iungunt Deo atque ecclesiae, hoc est numerandum maxime, ut in veritate christiana propaganda propulsandisque erroribus elaboret singulorum, quoad potest, industria.*“

## §. 2.

### **Concordia catholicorum.**

„Quibus tamen officiis, asserit Leo XIII., non ita ut oportet, cumulate et utiliter satisfacturi sunt, si alii seorsum ab aliis in certamen descenderint“, sed necessarium est, ut *catholici ecclesia duce in unum coniungantur*, atque ita uniti pro salute generis humani ut castrorum acies ordinata contendant. At quomodo talis unitas creari potest?

#### *1. Concordia sententiarum.*

„Ad coniunctionem animorum similitudinemque agendi . . . *primum omnium concordia est necessaria sententiarum,*

<sup>1)</sup> Const. Dei Filius ad fin.



ad quam ipsam videmus Paulum Apostolum Corinthios exhortantem vehementi studio et singulari gravitate verborum: „Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.“<sup>1)</sup>

„Cuius praecepti facile sapientia perspicitur. Est enim principium agendi mens: ideoque nec congruere voluntates queunt, si mentes diversa opinentur. Qui vero *solam rationem sequuntur ducem, vix in eis aut ne vix quidem una esse doctrina potest* . . . est enim mens natura sua infirma et varietate distrahitur opinionum . . . accedunt cupiditates, quae facultatem videndi veri tollunt, aut saltem valde imminuunt.“

„Hac de causa in moderandis civitatibus saepe datur opera, ut coniuncti teneantur vi, quorum animi discordent. Longe aliter christiani: quid *credere oporteat, ab Ecclesia accipiunt, cuius auctoritate ductuque se certo sciunt verum attingere*. Propterea . . . cunctorum orbe christianorum una est atque esse debet doctrina. . . . „Habentes autem eundem Spiritum fidei“<sup>2)</sup> salutare principium obtinent, unde eadem in omnibus voluntas eademque in agendo ratio sponte gignuntur.“

## 2. Obedientia ecclesiae exhibenda.

„Sed, quod Paulus Apostolus iubet, unanimitatem oportet esse perfectam.“ Ideo omnes veritates divinitus revelatas ob Dei revelantis auctoritatem recipere et credere debemus. „Statuere vero, docet Leo XIII., quae sint doctrinae divinitus traditae, ecclesiae docentis est, cui custodiam interpretationemque Deus eloquiorum suorum commisit. Summus autem est magister in ecclesia Pontifex romanus. *Concordia igitur animorum sicut perfectum in una fide consensum requirit, ita voluntates postulat ecclesiae romanoque Pontifici perfecte subiectas atque obtemperantes, ut Deo. . . . . Cuius*

1) I. Cor. 1, 10. — 2) II. Cor. 4, 13.



perfectiōni tantum christiana consuetudo tribuit, ut illa tamquam nota internoscendi catholicos et habita semper sit atque habeatur. . . .“

„In constituendis vero obedientiae finibus, nemo arbitretur sacrorum Pastorum maximeque romani Pontificis auctoritati parendum in eo dumtaxat esse, quod *ad dogmata* pertinet. . . . Quin etiam neque satis est sincere atque firmiter assentiri doctrinis, quae ab ecclesia, etsi solemniter definitae iudicio, *ordinario tamen et universali magisterio* tamquam divinitus revelatae credendae proponuntur: quas fide catholica et divina credendas concilium Vaticanum decrevit.“

„Sed hoc est *praeterea* in officiis christianorum ponendum, ut *potestate et ductu episcoporum imprimisque Sedis apostolicae regi se gubernarique patiantur*. Quod quidem quam sit consentaneum, perfacile apparet. Nam quae divinis oraculis continentur, ea Deum partim attingunt, partim ipsum hominem itemque res ad sempiternam hominis salutem necessarias. Jamvero de utroque genere, nimirum et quid credere oporteat, et quid agere, ab ecclesia iure divino praecipitur, atque in ecclesia a Pontifice maximo. Quamobrem iudicare posse Pontifex pro auctoritate debet, quid eloquia divina contineant, quae cum eis doctrinae concordent, quae discrepent; eademque ratione ostendere, quae honesta sint, quae turpia, quid agere quid fugere salutis adipiscendae causa necesse sit: aliter enim eloquiorum Dei certus interpres, nec dux ad vivendum tutus ille esse homini posset.“

### 3. *Norma catholicorum in actione publica.*

Tenendum est, ecclesiam esse societatem divinitus constitutam, ut pacem animis ac sanctitatem afferat; cumque res ad id necessarias divino munere sola possideat, certas habet leges, certa officia, atque in populis christianis moderandis rationem viamque sequitur naturae suae consentaneam. Licet rectores civitatum liberi sint ad res suas gerendas, idque non invita sed plane adiuvante ecclesia, quae sicuti



ad iustitiam erga Deum, ita quoque ad iustitiam erga principes vocat populos, nihilominus salva fide dubitari non potest, *regimen animarum ecclesiae esse assignatum uni*, nihil ut in eo sit politicae potestati loci: non enim Caesari, sed Petro claves regni coelorum Jesus Christus commendavit.

„Jus est ecclesiae, prosequitur Leo XIII., vivere tuerique se consentaneis naturae suae institutis ac legibus. *Eademque cum non modo societas perfecta sit, sed etiam humana quavis societate superior, sectari partium studia et mutabilibus rerum civilium flexibus servire iure officioque suo valde recusat.* Similique ratione . . . *non ad se putat ecclesia pertinere, quae maxime forma civitatis placeat*, quibus institutis res christianarum gentium civilis geratur: ex variisque reipublicae generibus nullum non probat, dum religio morumque disciplina salva sit.“

„Ad hoc exemplum cogitationes actionesque dirigi singulorum christianorum oportet. *Non dubium est, quin quaedam sit in genere politico honesta contentio*, cum scilicet *incolumi veritate iustitiaque certatur*, ut opiniones re usuque valeant, quae ad commune bonum prae ceteris conducibiles videantur. Sed ecclesiam trahere ad partes, aut omnino adiutricem esse velle ad eos, quibuscum contenditur, superandos, hominum est religione intemperanter abutentium.“

„Ex adverso *sancta atque inviolata apud omnes esse debet religio: immo in ipsa disciplina civitatum*, quae a legibus morum officiisque religionis separari non potest, *hoc est potissimum perpetuoque spectandum, quid maxime expediat christiano nomini, quod ipsum sicubi in periculo esse adversariorum opera videatur, cessandum ab omni dissidio et concordibus animis et consiliis propugnatio ac defensio suscipienda religionis*, quod est commune bonum maximum, quo sunt omnia referenda.“

„Profecto et ecclesia et civitas suum habet utraque principatum, proptereaque in gerendis rebus suis neutra paret alteri, utique intra terminos a proxima cuiusque causa constitutos. Ex quo tamen nulla ratione disiunctas esse sequitur,



multoque minus pugnantes. Sane non tantum nobis ut essemus natura dedit, sed ut morati essemus. Quare a tranquillitate ordinis publici, quam proxime habet civilis coniunctio propositam, hoc petit homo, ut bene sibi esse liceat, ac multo magis, ut satis praesidii ad perficiendos mores supeditet, quae perfectio nusquam nisi in cognitione consistit atque exercitio virtutis. Simul vero vult, id quod debet, adiumenta in ecclesia reperire, quorum ope pietatis perfectae perfecto fungatur munere, quod . . . . in cognitione usuque positum est verae religionis, quae princeps est virtutum. . . .“ Quare „in legibus sancendis spectanda hominis indoles est, moralis eadem ac religiosa, eiusdemque curanda perfectio, sed recte atque ordine: nec imperandum vetandumque quidquam nisi ratione habita, quid civili, quid religiosae hominum societati sit propositum.“

„Hac ipsa de *causa non potest ecclesiae non interesse, quales in civitatibus valeant leges*, non quatenus ad rempublicam pertinent, sed quia fines debitos aliquando praetergressae in ius ecclesiae invadunt. *Quin immo resistere, si quando officiat religioni disciplina reipublicae, studioseque conari*, ut in leges et instituta populorum virtus pervadat Evangelii, *munus est ecclesiae assignatum a Deo.*“

„Quoniam fortuna reipublicae potissimum ex eorum pendet ingenio, qui populo praesunt, idcirco *ecclesia patrocinium iis hominibus gratiamve praebere non potest, a quibus oppugnari sese intelligat*, qui iura ipsius vereri aperte recusent, qui rem sacram remque civilem natura consociatas divellere contendant. Contra fautrix, uti debet, eorum est, qui de utraque republica recte sentientes ambas in communi bono concordare elaborare volunt.“

„His praeceptis, asserit Summus Pontifex, norma continetur, quam in publica actione vitae catholicum quemque necesse est sequi. Nimirum . . . favendum viris est spectatae probitatis eisdem de christiano nomine meritis: neque causa esse ulla potest, cur male ergo religionem animatos liceat antepone.“



„Ex quo apparet, quam sit *magnum officium tueri consensum animorum, praesertim cum per hoc tempus tanta consiliorum calliditate christianum oppugnetur nomen*. Quotquot diligenter studuerint ecclesiae adhaerescere, quae est columnen et firmamentum veritatis <sup>1)</sup>, facile cavebunt magistros mendaces . . . quin ipsius ecclesiae virtutis participes futuri, invidias sapientia vincerent, vim fortitudine.“

#### 4. *Duo vitia fugienda.*

„Verum ad negotia publica accessuris *duo sunt magno-pere vitia fugienda, quorum alterum prudentiae nomen usurpat, alterum in temeritate versatur.*“

„Quidam enim *potenti pollentique improbitati aperte resistere negant oportere, ne forte hostiles animos certamen exasperet*. Isti quidem, pro ecclesia stent an contra, incertum: quandoquidem profiteri se doctrinam catholicam affirmant, sed tamen vellent, certas ab ea discrepantes opiniones impune propagari posse ecclesia sineret. Ferunt *dolenter interitum fidei demutationemque morum, nihil tamen de remedio laborant*, vel etiam nimia indulgentia aut perniciosa quadam simulatione non raro malum augent. Iidem de sua in apostolicam Sedem voluntate nemini volunt esse dubium, sed habent semper aliquid, quod pontifici succenseant. Istiusmodi hominum prudentia ex eo est genere, quod a Paulo apostolo sapientia carnis et mors animi appellatur.“

Ast *talis prudentia ad mala minuenda nihil conferre potest*. „Inimicis enim . . . hoc est omnino propositum, religionem catholicam, quae vera sola est, funditus, si fieri posset extinguere. Tali autem consilio omnia audent: sentiunt enim, quo magis fuerit aliorum tremefacta virtus, eo sibi expeditiorem fore malarum rerum facultatem. Itaque qui adamant prudentiam carnis, ac nescire se simulant, christianum quemque debere bonum militem Christi esse, qui debita victoribus praemia consequi mollissima via atque intacti a certamine volunt, ii tantum *abest, ut iter malorum intercipient, ut potius expediant.*“

<sup>1)</sup> I. Tim. 3, 15.



„Contra non pauci fallaci studio permoti . . . res in ecclesia geri suo ipsorum iudicio atque arbitrato vellent usque eo, ut omne, quod secus agitur, moleste ferant, atque repugnanter accipiant. Hi . . . reprehendendi sunt. Hoc enim est non sequi potestatem legitimam, sed praevertere, simulque magistratum munia ad privatos rapere, magna cum perturbatione ordinis, quem Deus in ecclesia sua perpetuo servandum constituit, nec sinit a quo eam impune violari.“

„Magnopere velimus in singulorum animis alte insidere eam, quam Paulus *prudenciam spiritus*<sup>1)</sup> nominat. Haec enim in moderandis actionibus humanis sequitur optimam mediocritatis regulam, illud in homine efficiens, *ne aut timide desperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter temeritatem.*“

### 5. *Prudentia politica.*

Prudentia politica, quae ad bonum commune spectat, differt ab ea prudentia, quae ad bonum cuiusque privatim pertinet. „Haec enim cernitur in hominibus privatis, qui consilio rectaeque rationi obediunt in gubernatione sui; illa vero in praepositis, maximeque in principibus, quorum muneris est cum potestate praeesse: ita quidem, ut *politica privatorum prudentia in hoc videatur tota consistere, legitimae potestatis iussa fideliter exequi.*“

„Haec dispositio atque hic ordo tanto magis valere in christiana republica debet, quanto Pontificis politica prudentia plura complectitur: eius enim est non solum regere ecclesiam, sed generatim civium christianorum actiones ita ordinare, ut cum spe adipiscendae salutis aeternae apte congruant. Ex quo apparet, praeter summam sententiarum concordiam et factorum, necesse esse politicam potestatis ecclesiasticae observare in agendo sapientiam.“

„Jamvero christianae reipublicae administratio proxime et secundum Pontificem romanum ad episcopos pertinet; qui scilicet, quamquam pontificalis fastigium potestatis non attingunt, sunt tamen in ecclesiastica hierarchia veri prin-

<sup>1)</sup> Rom. 8 6.



cipes, cumque singulas ecclesias singuli administrent, sunt quasi principales artifices . . . in aedificio spirituali 1), atque habent munera adiutores, ac ministros consiliorum clericos.“

„Ad hanc ecclesiae constitutionem, quam nemo mortalium mutare potest, actio est accommodanda vitae. *Propterea quemadmodum episcopis necessaria est cum apostolica Sede in gerendo episcopatu coniunctio, ita clericos laicosque oportet cum episcopis suis coniunctissime vivere, agere. Ipsorum quidem antistitem utique potest esse aliquid aut minus laudabile in moribus, aut in sententiis non probabile: sed nemo privatus arroget sibi personam iudicis, quam Christus Dominus illi imposuit uni, quem agnis atque ovibus praefecit.*“

His ecclesiae doctrinam de statu civili, sequentes instructiones Papae Leonis XIII., absolvimus.

## Titulus VI.

### De libertate et liberalismo.

Quia in nostra dioecesi permulti cultura maiori polentes de liberalismo gloriantur, vera doctrina de libertate et liberalismo proponatur. De hac quaestione pulcherrime et uberrime tractat Summus Pontifex in litteris encyclicis „*Libertas*“, 2) in qua *proposita genuina notione libertatis liberalismi absurditatem ostendit.*

### Cap. I.

#### De libertate.

Summus Pontifex scribit de *libertate, quatenus est dos singulorum hominum et tunc de libertate in societate civili.*

#### §. 1.

#### *De libertate singulorum.*

Exordium sumit de *libertate naturali*, cuius fundamentum explicat, dein vero doctrinam de *libertate morali* eiusque *praesidiis* proponit.

1) S. Thom. Quodlib. I art. 14. — 2) Encycl. Libertas de 20. junii 1888.



## 1. *Libertas naturalis eiusque fundamentum.*

„*Libertatem naturalem*, ait Leo XIII., omnium iudicium sensusque communis, quae certissima naturae vox est, in iis solum agnoscit, qui sint *intelligentiae vel rationis* composites, in eaque ipsa causam inesse apparet, cur auctor eorum, quae ab eo aguntur, verissime habeatur homo. Et recte quidem: nam quando *ceteri animantes solis ducuntur sensibus, soloque naturae impulsu* acquirunt, quae sibi prosunt, fugiuntque contraria, homo quidem in singulis vitae factis *rationem* habet ducem.“

„*Ratio* autem, quaecumque in terris habentur bona, omnia et singula posse iudicat esse et aequae posse non esse: et hoc ipso nullum eorum decernens esse necessario sumendum, potestatem optionemque voluntati facit, ut eligat, quod lubeat.“

Homo vero ideo de contingentibus iudicare potest, quod animum habet de natura simplicem, spiritualem et cogitationis participem, qui propterea nec in esse nec in operatione a corpore dependet, sed illius conditionem longe transgreditur, quo fit, ut immutabilibus et necessariis veris bonisque rationibus iudicio comprehensis bona illa singularia nequaquam esse necessaria videat. Itaque „*cum animos hominum segregatos esse statuitur ab omni concretionem mortali eosdemque facultate cogitandi pollere, simul naturalis libertas in fundamento suo firmissime constituitur.*“

„Jamvero sicut animi humani naturam simplicem, spiritualem atque immortalem, sic et libertatem nemo nec altius praedicat, nec constantius asserit ecclesia catholica, quae scilicet utrumque omni tempore docuit, sicque tuetur ut dogma.“

## 2. *Libertas moralis.*

„Libertas itaque eorum est, qui rationis aut intelligentiae sunt participes, propria; eadem, si natura eius consideratur, nihil aliud est nisi facultas eligendi res ad id, quod propositum est, idoneas, quatenus qui facultatem habet



unum aliquod eligendī e pluribus, is est factorum suorum dominus.“

„Jamvero quia omne, quod rei cuiuspiam adipiscendae causa assumitur, rationem habet boni, quod utile dicitur, bonum autem hoc habet natura, ut proprie appetitionem moveat, idcirco *liberum arbitrium est voluntatis proprium*, seu potius ipsa voluntas est, quatenus in agendo habet delectus facultatem.“

„Sed *nequaquam voluntas movetur, nisi mentis cognitio velut faex quaedam praeluxerit*: videlicet bonum voluntati concupitum est necessario bonum quatenus rationi cognitum. Eo vel magis, quod in omnibus voluntatibus delectum semper iudicatio praeit de veritate bonorum et quodnam sit anteponendum ceteris. Atqui iudicare rationis esse non voluntatis, nemo sapiens dubitat.“

„Libertas igitur si in voluntate inest, quae natura sua appetitus est rationi obediens, consequitur ut et ipsa, sicut voluntas, in bono versetur rationi consentaneo. Nihilominus quoniam utraque facultas a perfecto abest, fieri potest ac saepe fit, ut *mens voluntati proponat, quod nequaquam sit reapse bonum*, sed habeat *adumbratam speciem boni*, atque in id sese voluntas applicet.“

„Verum sicut *errare posse reque ipsa errare vitium est*, quod mentem non omni parte perfectam arguit, eodem modo *arripere fallax fictumque bonum esto indicium liberi arbitrii. sicut aegritudo vitae*: est tamen vitium quoddam libertatis. Ita pariter voluntas, hoc ipso quod a ratione pendet, quando quidquam appetat, quod a recta ratione dissideat, vitio quodam funditus inquinat libertatem, eaque perverse utitur. Ob eamque causam Deus, infinite perfectus, qui cum sit summe intelligens et per essentiam bonitas, est etiam summe liber, malum culpae velle nulla ratione potest; nec possunt, propter contemplationem summi boni, beati coelites.“ *Facultas peccandi non est libertas, sed servitus*; quod ipsi veteres intellexerunt affirmantes, liberum non esse nisi sapientem, scilicet eum, qui constanter honeste et cum virtute vivat.



### 3. *Praesidia libertatis.*

„Quoniam igitur, prosequitur Leo XIII., talis est in homine conditio libertatis, *aptis erat adiumentis praesidiisque munienda*, quae cunctos eius motus ad bonum dirigerent, a malo retraherent: secus multum homini libertas arbitrii nocuisset.“

„Ac primo quidem *lex*, hoc est agendorum atque omittendorum norma, fuit necessaria.“ Lex vero nulla in animantibus esse potest, utpote quae naturae impulsu agunt, sed solummodo eorum est, qui libertate fruuntur et ideo potestatem habent agere vel non agere, ita vel secus agere, et propterea eligunt, quae volunt, cum antecessit rationis iudicium.“

„Quo quidem iudicio, docet Summus Pontifex, non modo statuitur, quid honestum natura sit, quid turpe, sed etiam quid bonum sit reque ipsa faciendum, quid malum reque ipsa vitandum: ratio nimirum voluntati praescribit, quid petere, et a quo debeat declinare, ut homo tenere summum finem suum aliquando possit, cuius causa sunt omnia facienda. Jam vero haec ordinatio rationis lex nominatur.“

„Quamobrem cur *homini lex necessaria sit, in ipso eius libero arbitrio*, scilicet in hoc, nostrae ut voluntates a recta ratione ne discrepent, *prima est causa tamquam in radice* quaerenda. Nihil tam perversum praeposterumque dici cogitarive posset, quam illud, hominem, quia natura liber est, idcirco oportere esse legis expertem: quod si ita esset, hoc profecto consequeretur, necesse ad libertatem esse non cohaerere cum ratione: cum contra longe verissimum sit, idcirco legi oportere subesse, quia est natura liber. Isto modo dux homini in agendo lex est, eumdemque praemiis poenisque propositis ad recte faciendum allicit, a peccando deterret.“

„Talis est *princeps omnium lex naturalis*, quae inscripta est et insculpta in hominum animis singulorum, quia ipsa est humana ratio recte facere iubens et peccare vetans.“



Ista vero humanae rationis praescriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpres rationis, cui mentem libertatemque nostram subiectam esse oporteat.“

„Vis enim legis cum ea sit, officia imponere et iura tribuere, tota in auctoritate nititur, hoc est in vera potestate statuendi officia describendique iura, item poenis praemiisque imperata sancienti: quae quidem omnia in homine liquet esse non posse, si normam actionibus ipse suis summus sibi legislator daret. Ergo consequitur, ut *naturae lex sit ipsa lex aeterna*, insita in iis, qui ratione utuntur, eosque inclinans ad debitum actum et finem, *eaque est ipsa lex aeterna ratio creatoris universum mundum gubernantis Dei*.“

„Ad hanc agendi regulam peccandique frenos *singularia quaedam praesidia* Dei beneficio adiuncta sunt, ad confirmandam hominis regendamque voluntatem aptissima. In quibus princeps est atque excellit *divinae virtus gratiae*, quae cum mentem illustret, voluntatemque salutari constantia roboratam ad morale bonum semper impellat, expeditiorem efficit simulque tutiorem nativae libertatis usum.

## §. 2.

### *De libertate societatis civilis.*

„Quae de libertate singulorum dicta sunt, ea ad homines civili inter se societate coniunctos facile transferuntur. Nam quod ratio lexque naturalis in hominibus singulis, idem efficit in associatis lex humana ad bonum commune civium promulgata.“

„Ex hominum *legibus aliae in eo versantur, quod est bonum malumve natura*, atque alterum sequi praecipiant, alterum fugere, adiuncta sanctione debita. *Sed istiusmodi decreta* nequaquam ducunt ab hominum societate principium, quia societas sicut humanam naturam non ipsa genuit, ita pariter nec bonum procreat naturae conveniens, nec malum naturae dissentaneum: sed potius ipsi hominum societati



antecedunt, omninoque sunt *a lege naturali, ac propterea a lege aeterna repetenda.*“

„Juris igitur naturalis praecepta hominum comprehensa legibus non vim solum habent legis humanae, sed praecipue illud multo altius multoque augustius complectuntur imperium, quod ab ipsa lege naturae et a lege aeterna proficiscitur. Et in isto genere legum hoc fere civilis legumlatoris munus est, obedientes communi disciplina adhibita facere cives, pravos et in vitia promptos coercendo, ut a malo deterriti, id quod rectum est consectentur, aut saltem offensioni noxaeque ne sint civitati.“

„Alia vero civilis potestatis praescripta non ex naturali iure statim et proxime, sed *longius et oblique consequuntur*, resque varias definiunt, de quibus non est nisi generatim atque universe natura cautum. Sic suam conferre opem cives ad tranquillitatem prosperitatemque publicam natura iubet: quantum operae, quo pacto, quibus in rebus, non natura, sed hominum sapientia constituitur. Jamvero peculiaribus hisce vivendi regulis prudenti ratione inventis, legitimaque potestate propositis, *lex humana proprii nominis* continetur. Quae quidem lex ad finem communitati propositum cives universos conspirare iubet, deflectere prohibet: eademque quatenus pedissequa et consentiens est praescriptionibus naturae, ducit ad ea, quae honesta sunt, et a contrariis deterret.“

„Ex quo intelligitur, *omnino in aeterna Dei lege normam et regulam positam esse libertatis, nec singulorum dumtaxat hominum, sed etiam communitatis et coniunctionis humanae.* Igitur in hominum societate libertas veri nominis non est in eo posita, ut agas quod lubet, ex quo vel maxima existeret turba et confusio in oppressionem civitatis evasura, sed in hoc, ut per leges civiles expeditius possis secundum legis aeternae praescripta vivere.“

„*Eorum vero, qui praesunt, non in eo sita libertas est, ut imperare temere et ad libidinem queant, quod pariter flagitiosum esset et cum summa etiam reipublicae pernicie coniunctum, sed humanarum vis legum haec debet esse, ut*



*ab aeterna lege manare intelligantur, nec quidquam sancire, quod non in ea, velut in principio universi iuris, contineatur. Sapientissime Augustinus: 1) „Simul te videre arbitror in illa temporali lege nihil esse iustum atque legitimum, quod non ex hac aeterna lege sibi homines derivarint.“*

*„Si quid igitur ab aliqua potestate sanciat, quod a principiis rectae rationis dissideat, sitque reipublicae perniciosum, vim legis nullam haberet, quia nec regula iustitiae esset, et homines a bono, cui nata societas est, abduceret.“*

*„Natura igitur libertatis humanae, quocumque in genere consideretur, tam in personis singulis, quam in consociatis, nec minus in iis, qui imperant, quam in iis, qui parent, necessitatem complectitur obtemperandi summae cuiusdam aeternaeque rationi, quae nihil est aliud nisi auctoritas iubentis, vetantis Dei. Atque hoc iustissimum in homines imperium Dei tantum abest, ut libertatem tollat aut ullo modo diminuat, ut potius tueatur et perficiat. Suum quippe finem consecrari et assequi, omnium naturarum est vera perfectio: supremus autem finis, quo libertas aspirare debet humana, Deus est.“*

### §. 3.

#### *Ecclesia mater libertatis.*

*„Haec verissimae altissimaeque praecepta doctrinae, asserit Leo XIII., vel solo nobis lumine rationis cognita, ecclesia quidem exemplis doctrinaque divini Auctoris sui erudita passim propagavit, asseruit: quibus ipsis et munus suum metiri, et christianas informare gentes nunquam destitit. In genere morum leges evangelicae non solum omni ethnicorum sapientiae longissime praestant, sed plane vocant hominem atque instituunt ad inauditam veteribus sanctitatem, effectumque propiorem Deo simul efficiunt perfectioris compotem libertatis.“*

*„Ita semper permagna vis ecclesiae apparuit in custodienda tuendaque civili et politica libertate populorum. Eius*

1) De lib. arb. l. 1. c. 6. n. 15.



in hoc genere enumerare merita nihil attinet. Satis est commemorare servitutem . . . opera maxime beneficioque ecclesiae deletam. Aequabilitatem iuris, veramque inter homines germanitatem primus omnium Jesus Christus asseruit: cui apostolorum suorum resonuit vox, non esse Judaeum, neque Graecum, neque Scytham, sed omnes in Christo fratres. Tanta est in hac parte tamque cognita ecclesiae virtus, ut quibusque in oris vestigium ponat, exploratum sit, agrestes mores permanere diu non posse: sed immanitati mansuetudinem, barbariae tenebris lumen veritatis brevi successurum. Item populos civili urbanitate excultos, magnis afficere beneficiis nullo tempore ecclesia desiit, vel resistendo iniquorum arbitrio, vel propulsandis a capite innocentium et tenuiorum iniuriis, vel demum opera danda, ut rerum publicarum ea constitutio valeret, quam cives propter aequitatem adamerent, externi propter potentiam metuerent.“

## Cap. II.

### De liberalismo.

Exposita gemina notione libertatis Summus Pontifex ulterius progrediens ostendit, quam sit *falsus liberalismus in genere, quamque irracionales libertates modernae in specie.*

#### §. 1.

#### *De liberalismo in genere.*

„Quod si, cum de libertate vulgo disputant, legitimam honestamque intelligerent . . . exagitare ecclesiam nemo auderet . . . vel singulorum libertati vel liberae reipublicae esse inimicam. Sed iam permulti Luciferum imitati, cuius est illa nefaria vox „non serviam“, libertatis nomine absurdam consecretantur licentiam. Cuiusmodi sunt ex illa tam late fusa tamque pollenti disciplina homines, qui se, ducto a libertate nomine, *Liberales* appellari volunt.“ Quibus praemissis Pontifex *triplex genus liberalium* distinguit atque damnat.



### 1. *Liberales strictiores.*

„Quo spectant in philosophia *naturalistae* seu *rationalistae*, eodem in re morali atque civili spectant liberalismi fautores, qui posita a naturalistis principia in mores actionemque vitae deducunt.“

„Jamvero *totius rationalismi caput est: principatus humanae rationis*, quae obedientiam divinae aeternaeque rationi debitam recusans, *suique se esse iuris discernens*, ipsa sibi sola efficitur summum principium et fons et iudex veritatis. Ita illi, quos diximus, Liberalismi sectatores, in actione vitae nullam contendunt esse, cui parendum sit, divinam potestatem, sed sibi quemque legem esse: unde illa philosophia morum gignitur, quam independentem vocant, quae sub specie libertatis ab observantia divinorum praeceptorum voluntatem removens infinitam licentiam solet homini dare.“

„Quae omnia in hominum praesertim societate, quo tandem evadant, facile est praevidere. Hoc enim fixo et persuaso: homini antistare neminem, consequitur causam efficientem . . . societatis non in principio aliquo extra aut supra hominem posito, sed in libera voluntate singulorum esse quaerendam; dein potestatem publicam a multitudine velut a primo fonte repetendam, praetereaque sicut ratio singulorum sola dux et norma agendi privatim est singulis, ita rationem singulorum solam esse ducem et normam oportere universis in rerum genere publicarum. Hinc plurimum posse plurimos: *partemque populi maiorem iuris esse officiique effectricem.*“

„Sed *haec cum ratione pugnare*, ex iis, quae dicta sunt, apparet. Nullum siquidem velle homini aut societati civili cum Deo creatore, ac proinde supremo omnium legislatore, intercedere vinculum, omnino naturae repugnat, nec naturae hominis tantum, sed rerum omnium procreatarum: quia res omnes effectas cum causa, a qua effectae sunt, aliquo esse aptas nexu necesse est, omnibusque naturis hoc convenit, hoc ad perfectionem singulorum pertinet, eo



se continere loco et gradu, quem naturalis ordo postulat, scilicet ut ei, quod superius est, id quod est inferius, subiciatur et pareat.“

Praeterea huiusmodi doctrina non solum cum ratione pugnat, „sed tum *privatis hominibus, tum civitatibus maxime est perniciosa*. Sane reiecto ad humanam rationem et solam et unam veri bonique arbitrio, proprium tollitur boni et mali discrimen, turpia a honestis non re sed opinione iudicioque singulorum differunt . . . , constitutaque morum disciplina, cuius ad coercendos sedandosque motus animi turbidos nulla fere vis est, sponte fiet ad omnem vitae corruptelam aditus.“

„In rebus autem publicis potestas imperandi separatur a vero naturalique principio, unde omnem haurit virtutem efficientem boni communis; lex de iis, quae facienda fugiendae sunt statuens, maioris multitudinis permittitur arbitrio, quod quidem est iter ad tyrannicam dominationem proclive. Imperio Dei in hominem hominumque societatem repudiato, consentaneum est nullam esse publicam religionem, rerumque omnium, quae ad religionem referantur, incuria maxima consequetur. Similiter opinione principatus armata facile ad seditionem turbasque labitur multitudo, frenisque officii et conscientiae laxatis nihil praeter vim relinquitur, quae tamen vis tanti non est, ut populares cupiditates continere sola possit.“

„Statuant igitur ac definiant rerum aequi aestimatores, tales doctrinae proficiantne ad veram dignamque homine libertatem, an potius ipsam pervertant totamque corrumpant.“

## 2. *Liberales mitiores.*

„Certe quidem opinionibus iis vel ipsa immanitate sua formidolosis, quas a veritate aperte abhorrere . . . vidimus, non omnes liberalismi fautores assentiuntur. Quin compulsi veritatis viribus plures eorum . . . fatentur, in vitio esse et plane in licentiam cadere libertatem, si gerere se intemperantius ausit veritate iustitiaque posthabita“ : quocirca *liber-*



*tatem aiunt iuri naturali sempiternaeque legi divinae subiectam esse oportere. Verum negant, liberum hominem subesse debere legibus, quas Deus alia via praeter rationem naturalem imponere velit.*

Ast falluntur. Nam, si parendum est voluntati Dei legislatoris, quia totus homo in potestate est Dei et ad Deum tendit, consequitur „neminem posse auctoritati eius legiferae fines modumve praescribere, quin hoc ipso faciat contra obedientiam debitam.“ Immo vero, si mens humana in arrogantia sua tum iura Dei, tum propria officia ipsa decernere velit, „verecundiam legum divinarum plus retinebit specie, quam re, et arbitrium eius valebit prae auctoritate et providentia Dei.“

„Necesse est igitur vivendi normam . . . . ut a lege aeterna, ita ab omnibus singulisque petere legibus, quas infinite sapiens. . . . Deus, qua sibi ratione visum est, tradidit quasque nosse tuto possumus perspicuis nec ullo modo addubitandis notis. Eo magis, quod istius generis leges . . . omnino cum ratione concordant et perfectionem adiungunt ad naturale ius, eademque magisterium Dei ipsius complectuntur, qui scilicet, nostra ne mens seu voluntas in errorem labatur, nutu ductuque suo utramque benigne regit.“

„Mitiores adhuc sunt, . . . qui aiunt *nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, non tamen civitatis*: in rebus publicis fas esse a iussis Dei discedere, nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri. Ex quo perniciosum illud gignitur consecrarium, civitatis ecclesiaeque rationes dissociari oportere.“

Quod tamen falsum est. Nam civibus in societate suppetere debet facultas ad vitam honeste, scilicet secundum Dei leges degendam, quamobrem vehementer repugnat posse civitatem vilipendere leges divinas, vel etiam quidquam contra istas leges infense statuere. Deinde rectores civitatis non solum commodis et rebus externis, sed maxime animi bonis consulere debent. Atqui ad haec bona leges divinae quam maxime conducunt; quapropter in regendis civitatibus earum ratio haberi omnino debet, secus finis civitatum principalis



non obtinebitur. Insuper rectores civitatum posthabita lege divina in perpetuo conflictu cum ecclesia viverent, cum civibus suis, qui membra quoque ecclesiae sunt, leges ecclesiastico iuri oppositas praescriberent, unde damna pro societate magna orirentur, quod repugnat sapientissimae voluntati Dei.

§. 2.

***De modernis libertatibus.***

„Quae quo melius appareant, *varia libertatis incrementa*, quae nostrae aetati quaesita feruntur, *separatim* considerari oportet.“

***1. Libertas cultus.***

*Libertas cultus*, quam liberales postulant, „hoc *veluti fundamento nititur, integrum cuique esse, aut quam libuerit, aut omnino nullam profiteri religionem.* Contra vero ex omnibus hominum officiis illud est sine dubitatione maximum et sanctissimum, quo pie et religiose Deum colere homines iubemur. Idque necessario ex eo consequitur, quod in Dei potestate perpetuo sumus, Dei numine providentiaque gubernamur, ab eoque profecti ad eum reverti debemus.“

„Huc accedit, virtutem veri nominis nullam esse sine religione posse“, nam cum virtutes hominem ad Deum summum omnium bonorum ducant, religio vero ea operetur, quae immediate ordinantur in honorem divinum, „*cunctorum princeps est et moderatrix virtutum*“, quae proinde sine illa consistere non possunt.

„Ac si quaeratur, cum plures et inter se dissidentes usurpentur religiones, quam sequi unam ex omnibus necesse sit, eam certo ratio et natura respondent, quam Deus iusserit, quam ipsam facile homines queant notis quibusdam exterioribus agnoscere . . . Quapropter *oblata illa libertate cultus, haec homini potestas tribuitur, ut officium sanctissimum impune pervertat vel deserat*, ideoque ut aversus ab incommutabili bono sese ad malum convertat: quod . . .



*non libertas sed depravatio libertatis est et abiecti in peccatum animi servitus.*“

„Eadem libertas, si *consideretur in civitatibus*, hoc sane vult, nihil esse, quod ullum Deo cultum civitas adhibeat aut adhiberi publice velit: nullum anteferri alteri, sed aequo iure omnes haberi oportere, nec habita ratione populi, si populus catholicum profiteatur nomen. Quae ut *recta essent, verum esse oporteret, societatis civilis officia adversus Deum aut nulla esse, aut impune solvi posse, quod est utrumque aperte falsum.*“

Nam societas quoque civilis a Deo originem trahit, qui hominem ad congregationem genuit atque in coetum sui similium collocavit, ut quod natura eius desideraret, nec ipse assequi solitarius potuisset, in consociatione reperiret. Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum agnoscat necesse est, atque eius potestatem dominatumque vereatur et colat. Vetat igitur iustitia, vetat ratio atheam esse, vel quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eademque singulis iura promiscue largiri.“

„Cum *igitur sit unius religionis necessaria in civitate professio, profiteri eam oportet, quae unice vera est*, quaeque non difficulter, praesertim in civitatibus catholicis, agnoscitur, cum in ea tamquam insignitae notae veritatis appareant. . . . Publica potestas propter eorum qui reguntur utilitatem constituta est: et quamquam hoc proxime spectat, deducere cives ad huius, quae in terris degitur, vitae prosperitatem, tamen non minuere, sed augere homini debet facultatem adipiscendi summum illud atque extremum bonorum, in quo felicitas hominum sempiterna consistit: quo perveniri non potest religione neglecta.“

Immo *istiusmodi libertas multum obest verae libertati eorum qui regunt et eorum qui reguntur*. Nam religio ortum potestatis a Deo ipso repetit; ideo cum effectu et principes iubet officiorum suorum esse memores nihilque iniuste vel acerbe imperare et populos monet potestati legitimae esse subiectos ut Dei ministris. Religio populos cum rectoribus



reipublicae „non obedientia solum, sed verecundia et amore coniungit, interdictis seditionibus cunctisque incoeptis, quae ordinem tranquillitatemque publicam perturbare queant, quae tandem causam afferunt, cur maioribus frenis libertas civium constringatur. Praetermittimus quantum religio bonis moribus conducatur et quantum libertati boni mores. Nam *ratio ostendit et historia confirmat, quo melius moratas, eo plus libertate et opibus et imperio valere civitates.*“

## 2. Libertas sermonis et typi.

„Huius modum et finem transeuntis libertatis ius esse non posse, vix attinet dicere. Est enim *ius facultas moralis, quam . . . . absurdum est existimare veritati et mendacio, honestati et turpitudini promiscue et communiter natura datam.*“

„Quae vera, quae honesta sunt, ea libere prudenterque in civitate propagari ius est, ut ad quam plures pertineat; opinionum mendacia, quibus nulla menti capitalior pestis, item vitia, quae animos moresque corrumpunt, aequum est auctoritate publica diligenter coerceri, ne serpere ad perniciem reipublicae queant. Peccata licentis ingenii, quae sane in oppressionem cadunt multitudinis imperitae, rectum est auctoritate legum non minus coerceri, quam illatas per vim imbecillioribus iniurias. . . .“

„Permissa cuilibet loquendi scribendique infinita licentia, nihil est sanctum inviolatumque permansurum. . . . Sic sensim obducta tenebris veritate, id quod saepe contigit, facile dominabitur opinionum error perniciosus et multiplex. Qua ex re tantum capiet licentia commodi, quantum detrimenti libertas; eo enim est maior futura libertas ac tutior, quo frena licentiae maiora.“

„At vero de rebus opinabilibus disputationi hominum a Deo permissis, utique quod placeat sentire, quodque sentiatur, libere eloqui concessum est, non repugnante natura; talis enim libertas numquam homines ad opprimendam veritatem, saepe ad indagandam ac patefaciendam deducit.



### 3. *Libertas docendi.*

„De hac libertate oportet non dissimili ratione iudicare. Cum dubium esse non possit, *quin imbuere animos sola veritas debeat . . . , propterea non debet doctrina nisi vera praecipere . . .* Ob eamque causam eorum, qui praecipunt, plane officium est eripere ex animis errorem et ad opinionum fallacias obsepire viam. Igitur apparet magnopere cum ratione pugnare, ac natam esse pervertendis funditus mentibus illam, de qua sermo est, libertatem, quatenus sibi vult quidlibet pro arbitratu docendi licentiam: quam *quidem licentiam civitati dare publica potestas, salvo officio, non potest.* Eo vel magis, quod magistrorum apud auditores multum valet auctoritas et verane sint, quae traduntur, raro admodum diiudicare per se ipse discipulus potest.“

„Quamobrem hanc quoque libertatem, ut honesta sit, certis finibus circumscriptam teneri necesse est: nimirum ne fieri impune possit, ut ars docendi in instrumentum corruptelae vertatur.“

„Veri autem, in quo unice versari praecipientium doctrina debet, unum est naturale genus, supernaturale alterum.“

„Ex *veritatibus naturalibus*, cuiusmodi sunt principia naturae et ea, quae ex illis proxime ratione ducuntur, *existit humani generis velut commune patrimonium*: in quo tamquam fundamento firmissimo, cum mores et iustitia et religio, atque ipsa coniunctio societatis humanae nitatur, *nihil tam impium esset, tamque stolide inhumanum, quam illud violari ac diripi impune sinere.*“

„Nec *minore conservandus religione maximus sanctissimusque thesaurus earum rerum, quas Deo auctore cognoscimus.*“ Huc pertinent capita doctrinae ab apologetis probata de divina revelatione, de Jesu Christo, de ecclesia ut perfecta societate ab ipso condita, cui omnes veritates commendavit, „ut ea ipsas custodiret, tueretur, legitima cum auctoritate explicaret: unaque simul iussit omnes gentes ecclesiae suae, perinde ac sibimetipsi, dicto audientes esse, qui secus facerent, interitu perditum iri sempiterno.“



Quia Deus est principium veritatis, eiusque Unigenitus via, veritas et vita et lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum et quia Deus „in fide et institutione morum divini magisterii ecclesiam fecit participem eamque divino eius beneficio falli nesciam: ideo ecclesia mortalium est magistra maxima ac tutissima in eaque inest non violabile ius ad magisterii libertatem.“

Ecclesia munus a Deo sibi demandatum fideliter explevit, qua via totus orbis terrarum, miserrima superstitione depulsa ad christianam sapientiam renovatus est. „Quoniam vero ratio ipsa perspicue docet, veritates divinitus traditas et veritates naturales inter se oppositas revera esse non posse..., idcirco divinum ecclesiae magisterium tantum abest, ut studia discendi atque incrementa scientiarum intercipiat, aut cultioris humanitatis progressionem ullo modo retardet, ut potius plurimum afferat luminis securamque tutelam. Eademque causa non parum proficit ad ipsam libertatis humanae perfectionem, cum Jesu Christi Servatoris sit illa sententia, fieri hominem veritate liberum.“

„Quare non est *causa, cur germana libertas indignetur, aut veri nominis scientia moleste ferat leges iustas ac debitas, quibus hominum doctrinam contineri ecclesia simul et ratio consentientes postulant.*“ Immo, quod notum est, ecclesia hoc agens praecipue, ut fidem christianam tueatur, „humanarum quoque doctrinarum omne genus fovere et in maius provehere studet“. Insuper *immensus patet campus, in quo hominum excurrere industria, seseque exercere ingenia libere queant: res scilicet, quae cum doctrina fidei morumque christianorum non habent necessariam cognationem, vel de quibus, nulla adhibita sua auctoritate, iudicium eruditorum relinquit integrum ac liberum.*“

Inde intelligitur, „quae et qualis illa sit in hoc genere libertas, quam pari studio volunt et praedicant liberalismi sectatores. Ex una parte sibi quidem ac reipublicae licentiam asserunt tantam, ut cuilibet opinionum perversitati non dubitent aditum ianuamque patefacere; ex altera ecclesiam plurifariam impediunt, eiusque libertatem in fines quantum



possunt maxime angustos compellunt, quamquam ex ecclesiae doctrina non modo nullum incommodum pertimescendum sit, sed magnae omnino utilitates expectandae.“

#### 4. *Libertas conscientiae.*

„Illa quoque magnopere praedicatur, quam conscientiae libertatem nominant: quae si ita accipiatur, ut suo cuique arbitratu aequae liceat Deum colere, non colere, argumentis iam allatis satis convincitur.“

„Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut *homini ex conscientia officii Dei voluntatem sequi et iussa facere nulla re impediende in civitate liceat*. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior: eadem ecclesiae semper optata ac praecipue cara.“ Nam hac libertate Dei dominium in homines, nec non hominum erga Deum subiectio agnoscitur. „Nihil habet ipsa cum animo seditioso nec obediende commune: neque ullo pacto putanda est, velle ab obsequio publicae potestatis desciscere“, nam potestas humana nihil potest imperare, quod cum Dei voluntate dissentiat. „At vero cum quidquam praecipitur, quod cum divina voluntate aperte discrepet, tum longe a modo divinitus constituto disceditur, simulque cum auctoritate divina confligitur: ergo rectum est non parere.“

„Contra liberalismi fautores, qui herilem atque infinite potentem faciunt principatum, vitamque nullo ad Deum respectu degendam praedicant, hanc de qua loquimur coniunctam cum honestate religioneque libertatem minime agnoscunt: cuius conservandae causa si quid fiat, iniuria et contra rempublicam factum criminantur. Quod si vere dicerent, nullus esset tam immanis dominatus, cui subesse et quem ferre non oporteret.“

#### 5. *Tolerantia.*

„Vehementer quidem vellet ecclesia, in omnes respublicae ordines haec, quae summatim attingimus, christiana documenta re usuque penetrarent. In eis enim summa effi-



cacitas inest ad sananda horum temporum mala“ orta quam plurimum ex iis ipsis libertatibus, „quae tanta praedicatione efferuntur et in quibus salutis gloriaeque inclusa semina videbantur. Spem fefellit exitus: pro iucundis et salubribus acerbi et inquinati provenere fructus“. Remedium quaeratur sanarum doctrinarum revocatione.

„Nihilominus materno iudicio ecclesia aestimat grave pondus infirmitatis humanae et qualis hic sit, quo nostra vehitur aetas, animorum rerumque cursus non ignorat. His de causis *nihil quidem impertiens iuris nisi iis quae vera, quaeque honesta sint, non recusat, quominus quidpiam a veritate iustitiaeque alienum ferat tamen publica potestas, scilicet maius aliquod vel vitandi causa malum, vel adipsi- scendi aut conservandi bonum.*“

„Ipse providentissimus Deus cum infinitae sit bonitatis, idemque omnia possit, sinit tamen in mundo esse mala, partim ne ampliora impediatur bona, partim ne maiora mala consequantur. In regendis civitatibus rectorem mundi par est imitari: quin etiam singula mala prohibere auctoritas hominum non possit, debet multa concedere atque impunita relinquere, quae per divinam tamen providentiam vindicantur, et recte.“<sup>1)</sup>

Verumtamen in eiusmodi rerum adiunctis, si communis boni causa potest vel etiam debet lex hominum ferre toleranter malum, tamen *nec potest nec debet id probare aut velle per se*: quia malum per se, cum sit boni privatio, repugnat bono communi, quod legislator... velle ac tueri debet...“

Sed confitendum est, si vere iudicari velit, quanto plus in civitate mali tolerari pernecesse est, *tanto magis distare id genus civitatis ab optimo*: itemque tolerantiam rerum malarum . . . omnino circumscribi iis finibus oportere, quos causa, id est salus publica, postulat. Quare si salutis publicae detrimentum afferat et mala civitati maiora pariat, consequens est eam adhiberi non licere, quia in his rerum adiunctis abest ratio boni.“

<sup>1)</sup> S. Aug. De lib. arb. I. I. c. 6. n. 14.



„Si vero ob singularia reipublicae tempora usuveniat, ut modernis quibusdam libertatibus ecclesia acquiescat, id fit, non quod ipsas per se malit, sed quia permissas esse iudicat expedire, versis autem in meliora temporibus, adhibitura esset libertatem suam et . . . studeret munus efficere sibi assignatum a Deo, videlicet sempiternae hominum saluti consulere.“

„Illud autem perpetuo verum est, istam omnibus et ad omnia promiscue tributam libertatem *non esse . . . expetendam per se, quia, falsum eodem iure esse ac verum, rationi repugnat.*“

„Et quod ad tolerantiam pertinet, mirum quantum ab aequitate prudentiaque ecclesiae distant, qui liberalismum profitentur. Etenim in permittenda civibus omnium earum rerum, quas diximus, infinita licentia omnino modum transiliunt, atque *illuc evadunt, ut nihilo plus honestati veritati-que tribuere, quam falsitati ac turpitudini videantur.* Ecclesiam vero, columnam et firmamentum veritatis, eamdemque incorruptam morum magistrani, quia tam dissolutum flagitiosumque tolerantiae genus constanter, ut debet, repudiat, idemque adhiberi fas esse negat, criminantur esse a patientia et lenitate alienam. . . . Sed *in tanta ostentatione tolerantiae re persaepe contigit, ut restricti ac tenaces in rem catholicam sint et qui vulgo libertatem effuse largiuntur, iidem liberam sinere ecclesiam passim recusant.*“

### §. 3.

#### **Conclusio.**

„Itaque ex dictis consequitur, *nequaquam licere petere, defendere, largiri* cogitandi, scribendi, docendi atque cultus libertatem, veluti iura totidem, quae homini natura dederit. Nam si vere natura dedisset, *imperium Dei detrectari ius esset, nec ulla temperari lege libertas humana posset.*“

„Similiter consequitur, *ista genera libertatis posse quidem, si iustae causae sint, tolerari,* definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent. Ubi



vero harum libertatum viget consuetudo, eas ad facultatem recte faciendi cives transferant, quodque sentit de illis ecclesia, idem ipsi sentiant.“

„Ubi dominatus premat aut impendeat eiusmodi, qui oppressam iniusta vi teneat civitatem, vel carere ecclesiam cogat libertate debita, *fas est aliam quaerere temperationem reipublicae*, in qua agere cum libertate concessum sit: tunc enim non illa expetitur immodica et vitiosa libertas, sed sublevatio aliqua salutis omnium causa quaeritur, et *hoc unice agitur ut, ubi rerum malarum licentia tribuitur, ibi potestas honesta faciendi ne impediatur.*“

„*Atque etiam malle reipublicae statum populari temperatum genere, non est per se contra officium, salva tamen doctrina catholica de ortu atque administratione publicae potestatis.* Ex variis reipublicae generibus, modo sint ad consulendum utilitati civium per se idonea, nullum quidem ecclesia respuit: singula tamen vult, quod plane idem natura iubet, sine iniuria cuiusquam, maxime integris ecclesiae iuribus, esse constituta.“

„Ad res publicas gerendas accedere, nisi alicubi ob singularum rerum temporumque conditionem aliter caveatur, honestum est; immo vero *probat ecclesia, singulos operam suam in communem afferre fructum* et quantum quisque industria potest, tueri, conservare, augere rempublicam.“

„*Neque illud ecclesia damnat, velle gentem suam nemini servire nec externo, nec domino, si modo fieri incolumi iustitia queat.* Denique nec eos reprehendit, qui efficere volunt, ut civitates suis legibus vivant, civesque quam maxima augendorum commodorum facultate donentur. *Civitarum sine intemperantia libertatum semper esse ecclesia fautrix fidelissima consuevit: quod testantur potissimum civitates italicae, scilicet prosperitatem, opes, gloriam nominis municipali iure adeptae, quo tempore salutaris ecclesiae virtus et omnes reipublicae partes, nemine repugnante, pervaserat.*“

Quae doctrina, quam Summus Pontifex fide simul et ratione duce nobis tradidit, fructuosa sit futura nobis omnibus atque populo nostro.



## Titulus VII.

### De quaestione sociali.

Summi momenti est *quaestio socialis*. Ideo Synodus dioecesana non potest illa non occupari; sed exponere obligatur illius naturam nec non statuere principia ad illius apta solutionem. Prouti in aliis quaestionibus, ita etiam in praesenti magistrum Leonem XIII. audire volumus atque sequi.

Tribus encyclicis missis ad episcopos orbis catholici Summus Pontifex quaestionem illustravit: „Apostolici muneris“ de die 28. decembris 1878, „Rerum novarum“ de die 15. maii 1891 et „Graves de communi“ de die 18. ianuarii 1901. Doctrinas Leonis XIII. exposituri explanabimus *naturam huius quaestionis et factores* ad adiuvandum obligatos, dein *errores socialismi*, porro *miseriam opificum atque viam ad illam tollendam, denique naturam actionis appellatae „democratia christiana“*.

### Cap. I.

#### De indole quaestionis socialis et de factoribus vocatis ad eius solutionem.<sup>1)</sup>

Imprimis indoles quaestionis socialis explicetur solvaturque quaestio, quis ad illius conferre solutionem sit vocatus.

##### §. 1.

#### *Indoles quaestionis socialis.*

„Quorundem opinio est, ait Leo XIII., quae in vulgus manat, quaestionem socialem oeconomicam esse tantummodo, quum contra verissimum sit et *moralem imprimis et religiosam esse*, ob eandemque rem ex lege morum potissime et religionis iudicio dirimendam.“ Quod *vita quotidiana et natura charitatis* demonstratur.

<sup>1)</sup> Encycl. Graves de communi de 18. ian. 1901.



## 1. Vita quotidiana.

„Esto namque ut opificibus geminetur merces, esto ut contrahatur operi tempus, etiam annonae sit vilitas, atqui si mercenarius eas audiat doctrinas . . ., eisque utatur exemplis, quae ad exuendam Numinis reverentiam alliciant depravandosque mores, eius etiam labores ac rem necesse est dilabi.“ *Experientia docet, „opifices plerosque anguste misereque vivere, qui, quamvis operam habent breviorum spatio et uberiores mercede, corruptis tamen moribus nulla-que religionis disciplina vivunt. Deme animis sensus, quos inserit et colit christiana sapientia, deme providentiam, modestiam, parsimoniam, patientiam, ceterosque rectos naturae habitus: prosperitatem, etsi mundum contendas, frustra prosequare.“*

„Id plane est causae, asserit Summus Pontifex, cur catholicos homines, *inire coetus ad meliora plebi paranda*, aliaque similiter instituta invehere, Nos nunquam hortati sumus, quin pariter moneremus, ut *haec religione auspice fient, eaque adiutrice et comite.“*

## 2. Natura caritatis.

„Videtur autem propensae huic catholicorum in proletarios voluntati eo maior tribuenda laus, quod in eodem campo explicatur, in quo constanter feliciterque, benigno afflatu ecclesiae, *actuosa caritatis certavit industria.“*

„Cuius quidem mutuae caritatis lege, legem iustitiae quasi perficiente, non sua solum iubemur cuique tribuere ac iure suo agentes non prohibere, verum etiam gratificari invicem, „non verbo, neque lingua, sed opere et veritate“<sup>1)</sup>, memores quae Christus peramanter ad suos habuit: „Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. . . .“<sup>2)</sup>

„Tale gratificandi studium, quamquam esse *primum oportet de animorum bono non caduco sollicitum, praeter-*

1) I. Jo. 3, 18. — 2) Jo. 13, 34. 35.



*mittere tamen nequaquam debet, quae usui sunt et adiumento vitae.* Qua in re illud est memoratu dignum“, quod Christus ex hoc caritatis capite suam demonstravit messianitatem respondens discipulis Baptistae: „Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.“<sup>1)</sup> Idem in die iudicii affirmat Christus, se singularem rationem operum misericordiae habiturum et quidem ita ac si sibimetipsi essent impensa: „esurivi et dedistis *mihi* manducare, sitivi et dedistis *mihi* bibere. . . .“<sup>2)</sup>

„Ad haec documenta caritatis utraque ex parte, et animae et corporis bono, probandae, addidit Christus de se exempla . . . insignia. In re praesenti sane suavissima est ad recolendum vox ea paterno corde emissa: „Misereor turbam“<sup>3)</sup> et par voluntas ope vel mirifica subveniendi. . . .“

„Traditam ab eo caritatis disciplinam Apostoli sancte naviterque coluerunt; post illos, qui christianam fidem amplexi sunt, auctores fuerunt inveniendae variae institutorum copiae ad miseras hominum, quaecunque urgeant, allevandas. Quae instituta, continuis incrementis provecta, christiani nominis partaeque inde humanitatis propria ac praeclara sunt ornamenta. . . .“

„Quod laboranti plebi *non temporariis tantum subsidiis*, sc. elemosyna, sed *constanti quadam institutorum ratione subveniatur*, caritati pariter laudi vertendum est. Eo amplius est in laude ponendum, velle eorum animos, qui exercent artes vel operam locant, sic ad parsimoniam providentiamque formari, ut ipsi sibi, decursu aetatis, saltem ex parte consulant. Tale propositum . . . honestat proletarios: quos quidem dum excitat ad clementiorem sibi fortunam parandam, idem a periculis arcet et ab intemperantia coercet cupiditatum, idemque ad virtutis cultum invitat. Tanta igitur cum sit utilitatis ac tam congruentis temporibus, dignum certe est, in quo caritas bonorum alacris et prudens contendat.“

1) Matth. 11, 5. — 2) Matth. 25, 35. sqq. — 3) Marc. 8, 2.



Inde patet, *quaestionem socialem esse religiosam et moralem*. Quibus argumentis ex natura rei petitis addi possent alia, quia nimirum fundamentum, quo vera aut falsa solutio huius quaestionis nititur, doctrinis constituitur de Deo, de vita aeterna atque animae immortalitate et aliis, quae cum istis logice cohaerent; at sufficit haec innuisse, eo quod per decursum huius tituli saepius proponentur.

## §. 2.

### ***Factores in solvenda quaestione sociali.***

Explicata natura quaestionis socialis, quaeritur, *sintne soli laici, an clerici quoque vocati, fors obligati* conferre opem in hac quaestione solvenda.

#### *1. Laici.*

„Eorum praesertim, docet Summus Pontifex, advocanda est benigna opera, *quibus et locus et census et ingenii animique cultura* plus quiddam auctoritatis in civitate conciliant. Ista si desit opera, vix quidquam confici potest, quod vero valeat ad quaesitas popularis vitae utilitates. Sane ad id eo certius breviusque patebit iter, quo impensus *multiplex praestantium civium efficientia* conspiret.“

„Ipsi autem considerent, monet Leo XIII., *non sibi esse ex integro, infimorum curare sortem an negligere, sed officio prorsus teneri.*“ Cur?

„Nec enim suis quisque commodis tantum in civitate vivit, verum etiam *communibus*, ut quod alii in summam communis boni conferre pro parte nequeant, largius conferant alii, qui possint.“ Obligationem ex abundantia bonorum dimetiri oportet, pro quibus Deo strictior erit reddenda ratio.“ „Id etiam monet malorum lues, quae remedio non tempepestive adhibito, in omnium ordinum perniciem est aliquando eruptura, ut qui calamitosae plebis negligit causam, ipse sibi et civitati faciat improvide. . . . Aequae *de civitate et de religione* agitur res; utramque in suo tueri honore sanctum esse *bonis omnibus* debet.“



„Ista catholicorum actio, qualiscunque est, ampliore quidem cum efficacitate procedat, si *consociationes* eorum omnes, salvo suo cuiusque iure, *una eademque primaria* vi dirigente et movente processerint.“ Dein meminit, iam a Pio IX. talem directionem pro Italia demandatam fuisse „instituto saepius laudato“ sub auspicio et ductu sacrorum Antistitum.

## 2. Clerus.

„Jamvero, prosequitur Leo XIII., in toto hoc rerum genere, quod cum ecclesiae et plebis christianae rationibus omnino copulatur, *apparet quid non-elaborare debeant, qui sacro munere fungantur, et quam varia doctrinae, prudentiae, caritatis industria id possint.*“

„*Prodire in populum in eoque salutariter versari opportunum esse, prout res sunt ac tempora, non semel Nobis, homines e clero allocutis, visum est affirmare. Saepius autem per litteras ad episcopos aliosque sacri ordinis viros . . . .* datas, hanc ipsam amantem populi providentiam collaudavimus, propriamque esse diximus *utriusque ordinis clericorum.*“

„Qui tamen in eius officiis explendis caute admodum prudenterque faciant ad similitudinem hominum sanctorum. Franciscus ille pauper et humilis, ille calamitosorum pater Vincentius a Paulo, alii . . . . complures, assiduas curas in populum sic temperare consueverunt, ut non plus aequo distenti, neque immemores sui, contentione pari suum ipsi animum ad perfectionem virtutis omnis excolerent.“

Qua obligatione et conditione stabilita Summus Pontifex indicat, quid per opportunitatem studeant fraterno alloquio populo inculcare.

„Quae sunt, ait Leo XIII.: a seditione, a seditiosis usquequaque caveant; aliena cuiusvis iura habeant inviolata; iustam dominis observantiam atque operam volentes exhibeant; domesticae vitae ne fastidiant consuetudinem multis modis frugiferam; religionem imprimis colant, ab eaque in asperitatibus vitae certum petant solatium. Quibus perficiendis



propositis sane quanto sit adiumento vel sanctae familiae Nazarethanae praestantissimum revocare specimen et commendare praesidium, vel eorum proponere exempla, quos ad virtutis fastigium tenuitas ipsa sortis eduxit, vel etiam spem alere praemii in potiore vita mansuri.“

Tunc Summus Pontifex graviter commonet, „ut quidquid consilii in eadem causa vel *singuli vel consociati homines efficiendum suscipiant, meminerint episcoporum auctoritati esse penitus obsequendum*. Decipi se ne sistant vehementiore quodam caritatis studio; quod quidem, si quam iacturam debitae obtemperationis suadeat, sincerum non est, neque solidae utilitatis efficiens, neque gratum Deo. *Eorum Deus delectatur animo, qui, sententia sua postposita, ecclesiae praesides sic plane ut ipsum audiunt iubentes*; iis volens adest vel arduas molientibus res, coeptaque ad exitus optatos solet benignus perducere.“

„Ad haec, concludit Summus Pontifex praeclaram instructionem, accedant consentanea virtutis exempla, maxime quae christianum hominem probant osorem ignaviae et voluptatum, de rerum copia in alienas utilitates amice imperientem, ad aerumnas constantem, invictum. Ista quippe exempla vim habent magnam ad salutes spiritus in populo excitandos; vimque habent maiorem, quam praestantiorum civium vitam exornant.“

## Cap. II.<sup>1)</sup>

### De socialismo.

De socialistis haec asserit Leo XIII. in litteris encyclicis „Quod apostolici muneris“: „Socialistae per universum orbem diffusi et iniquo inter se foedere arctissime colligati, non amplius ab occultorum conventuum tenebris praesidium quaerunt, sed palam fidenterque in lucem prodeuntes . . . consilium cuiuslibet civilis societatis fundamenta convellendi perficere adnituntur.“

<sup>1)</sup> Encycl. Quod apostolici muneris.



Quibus praestabilitis Summus Pontifex *breviter proponit errores socialistarum eorumque originem, quorum deinde falsitatem ostendit.*

§. 1.

***De erroribus socialistarum.***

Leo XIII. recensitis principalibus *erroribus originem eorum demonstrat, carpitque principum diffidentiam erga ecclesiam.*

*1. Errores recensentur.*

„*Socialistae*, docet Pontifex, ii sunt, qui prout divina testantur eloquia, „carnem quidem maculant, dominationem spernunt, maiestatem autem blasphemant.“ 1) Nihil, quod humanis divinisque legibus ad vitae incolumitatem ac decus sapienter decretum est, intactum vel integrum relinquunt.“

„*Sublimioribus potestatibus*, quibus apostolo monente omnem animam decet esse subiectam, quaeque a Deo ius imperandi mutuatur, *obedientiam detrectant* et perfectam omnium hominum in iuribus et officiis praedicant aequalitatem.“

„*Naturalem viri ac mulieris unionem*, gentibus vel barbaris sacram, dehonestant; eiusque vinculum, quo domestica societas principaliter continetur, infirmant aut etiam libidini permittunt.“

„Praesentium tamen bonorum illecti cupiditate, „quae radix est omnium malorum et quam quidam appetentes erraverunt a fide“, 2) *ius proprietatis naturali lege sancitum impugnant*; et per immane facinus, cum omnium hominum necessitatibus consulere et desideriiis satisfacere videantur, quidquid aut legitimae hereditatis titulo, aut ingenii manuumque labore, aut victus parsimonia acquisitum est, rapere et commune habere contendunt.“

„Atque haec quidem opinionum portenta in eorum conventibus publicant, libellis persuadent, ephemeridum nube in vulgus spargunt. Ex quo verenda regum maiestas et

1) Jud. ep. v. 8. — 2) I. Tim. 6, 10.



imperium tantam seditiosae plebis subiit invidiam, ut nefarii proditores omnis freni impatientes non semel, brevi temporis intervallo, in *ipsos regnorum principes* impio ausu arma converterint.“

## 2. *Origo praedictorum errorum.*

„Haec autem perfidorum hominum audacia . . . *causam et originem ab iis venenatis doctrinis repetit . . . , quae eo tendunt ut, omni revelatione submota et quolibet supernaturali ordine subverso, solius rationis inventis, seu potius deliramentis, aditus pateret.* Eiusmodi error, qui perperam a ratione sibi nomen usurpat, cum excellendi appetentiam naturaliter homini insertam pelliciat atque acuat, omnisque generis cupiditatibus laxet habenas, sponte sua non modo plurimorum hominum mentes, sed civilem etiam societatem latissime pervasit.“

„Hinc nova quadam impietate, ipsiis vel ethnicis inaudita, respublicae constitutae sunt, nulla Dei vel ordinis ab eo praestituti habita ratione: publicam auctoritatem nec principium, nec maiestatem, nec vim imperandi a Deo sumere dictitatum est, sed potius a populi multitudine; quae ab omni divina sanctione solutam se aestimans iis solummodo legibus subesse passa est, quas ipsa ad libitum tulisset.“

„Supernaturalibus fidei veritatibus, tamquam rationi inimicis, impugnatis et reiectis, ipse humani generis Auctor ac Redemptor a studiorum universitatibus, lyceis et gymnasiis, atque ab omni publica humanae vitae consuetudine sensim et paulatim exulare cogitur.“

„Futurae tandem aeternaeque vitae praemiis ac poenis oblivioni traditis, felicitatis ardens desiderium intra praesentis temporis spatium definitum est.“

„Hisce doctrinis longe lateque disseminatis, hac tanta cogitandi agendique licentia ubique parta, mirum non est, quod infimae sortis homines, pauperulae domus vel officinae pertaesi, in aedes ac fortunas ditiorum involare discu-



piant; mirum non est, quod nulla iam publicae privataeque vitae tranquillitas consistat et ad extremam perniciem humanum genus iam pene devenerit.“

### 3. *Diffidentia erga ecclesiam.*

„*Supremi ecclesiae Pastores . . . . . mature periculum avertere et fidelium saluti consulere studuerunt.*“ Jam Clemens XII. et Benedictus XIV. impia sectarum consilia detegere, atque populos de pernicie admonere non praetermiserunt. Postquam vero a falsis philosophis effrenis libertas homini attributa, et ius novum contra naturalem divinamque legem confingi coeptum est, Pius VI. iniquarum doctrinarum indolem et falsitatem publicis documentis ostendit et ruinas futuras praedixit. Sed cum prava dogmata magis in dies populis persuaderentur, Pius VII. et Leo XII. occultas sectas anathemate damnarunt et iterum de periculo societatem admonuerunt. Notum est, quali animi constantia Pius IX. tum contra iniqua sectarum conamina, tum nominatim contra erumpentem socialismi pestem dimicaverit.

„*Dolendum autem est, prosequitur Leo XIII., eos, quibus communis boni cura demandata est, impiorum hominum fraudibus circumventos et minis perterritos in ecclesiam semper suspicioso et etiam iniquo animo fuisse, non intelligentes sectarum conatus in irritum cessuros, si catholicae ecclesiae doctrina, Romanorumque Pontificum auctoritas et penes principes et penes populos debito semper in honore mansisset. Ecclesia namque Dei vivi, quae columna est et firmamentum veritatis<sup>1)</sup>, eas doctrinas et praecepta tradit, quibus societatis incolumitati et quieti apprime prospicitur et nefasta socialismi propago radicitus evellitur.*“

#### §. 2.

### *Errores refutantur.*

*Tres praecipui sunt errores, quos Pontifex commemoravit et quorum falsitatem ostendit: falsa est doctrina sociali-*

<sup>1)</sup> I. Tim. 3, 15.



starum de *absoluta aequalitate* omnium hominum, de *natura coniugii* et de *negato iure proprietatis*.

### 1. *Aequalitas hominum.*

„Socialistae dicitare non desinunt, *omnes esse inter se natura aequales, ideoque contendunt nec maiestati honorem et reverentiam, nec legibus, nisi forte ab ipsis ad placitum sancitis, obedientiam deberi.*“

„Contra vero, ex evangelicis documentis, *ea est hominum aequalitas, ut omnes eadem naturam sortiti ad eandem filiorum Dei celsissimam dignitatem vocentur, simulque* ut uno eodemque fine omnibus praestituto, singuli secundum eandem legem iudicandi sint, poenas aut mercedem pro merito consecuturi. *Inaequalitas tamen iuris et potestatis ab ipso naturae auctore dimanat,* „ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur.“<sup>1)</sup> Principum autem et subditorum animi mutuis officiis et iuribus, secundum catholicam doctrinam ac praecepta, ita devinciuntur, ut et imperandi temperetur libido et obedientiae ratio facilis, firma et nobilissima efficiatur.“

Ecclesia *populo* inculcat, „non esse potestatem nisi a Deo; qui resistit potestati, eum Deo resistere sibi que damnationem requirere.“<sup>2)</sup> Nam Creator mundi provida sua sapientia disposuit, ut infima per media, media per summa ad suos quaeque fines perveniant. Ita in coelis sunt varii chori angelorum, atque in ecclesia diversi gradus ordinum et officiorum, ut „non omnes essent apostoli, non omnes doctores, non omnes pastores“<sup>3)</sup>; simili modo „etiam constituit in civitate plures esse ordines dignitate, iuribus, potestate diversos; quo scilicet civitas, quemadmodum ecclesia, unum esset corpus multa membra complectens alia aliis nobiliora, sed cuncta sibi invicem necessaria et communi bono sollicita.“

„At vero ut *populorum rectores*, monet Leo XIII., potestate sibi concessa in aedificationem et non in destructionem

1) Eph. 3, 15. — 2) Rom. 13. — 3) I. Cor. 12.



utantur, ecclesia Christi opportunissime monet, etiam principibus supremi iudicis severitatem imminere, et divinae Sapientiae verba usurpans Dei nomine omnibus inclamat: „Praebete aures vos, qui continetis multitudinem . . . , quoniam data est a Deo potestas vobis . . . , qui interrogabit opera vestra . . . et iudicium durissimum his qui praesunt fiet.“ 1)

„Si tamen quandoque contingat *temere et ultra modum publicam a principibus potestatem exerceri*, catholicae ecclesiae doctrina in eos *insurgere proprio Marte non sinit*, ne ordinis tranquillitas magis magisque turbetur, neve societas maius exinde detrimentum capiat. Cumque res eo devenierit, ut nulla alia spes salutis affulgeat, docet christianae *patientiae meritis et instantibus ad Deum precibus* remedium esse maturandum.“

„Quod si legislatorum et principum placita aliquid sanciverint aut iusserint, quod *divinae aut naturali legi repugnet*, christiani nominis dignitas et officium atque apostolica sententia suadent „obediendum esse magis Deo quam hominibus.“ 2)

## 2. *Societas domestica.*

„Salutarem ecclesiae virtutem . . . ipsa etiam *domestica societas*, quae omnis civitatis et regni fundamentum est, necessario sentit et experitur. Nostis enim, asserit Leo XIII., rectam huius societatis rationem, secundum naturalis iuris necessitatem, in indissolubili viri ac mulieris unione primo inniti et mutuis parentes inter et filios, dominos ac servos officiis iuribusque compleri.“

Ast per *socialismi placita* societas domestica pene dissolvitur, cum firmitas vinculi coniugalis negetur et potestas patris in filios, horum officia erga parentes laxentur.

Contra „honorabile in omnibus *connubium*“ 3) *ad humanum genus propagandum Deus ipse instituit et inseparabile decrevit*, dein vero *Christus Dominus ad Sacramenti*

1) Sap. 6. — 2) Act. 5, 29. — 3) Hebr. 13.



*dignitatem evexit*, quo firmitus adhuc et sanctius evasit, immo voluit, ut matrimonium „suae cum ecclesia unionis formam referret“. Inde dimanant variae *obligationes* viri, mulieris, prolis et servorum: *vir* est caput mulieris, *mulieres* viris subiectae et ab illis fideli constantique affectu diligendae; patria et herilis potestas *filios et servos* in officio contineat, nec tamen praeter modum excrescat; servi obediant dominis carnalibus uti Christo. Si haec omnia ab omnibus servarentur, „quaelibet familia coelestis domus imaginem quamdam prae se ferret et praeclara exinde beneficia parta non intra domesticos tantum parietes sese continerent, sed in ipsas respublicas uberrime dimanarent.“

### 3. *Jus proprietatis.*

„Publicae autem et domesticae tranquillitati, prosequitur summus Doctor, catholica sapientia, naturalis divinaeque legis praeceptis suffulta, consultissime providit etiam per ea, quae sentit et docet de *iure dominii et partitione bonorum*, quae ad vitae necessitatem et utilitatem sint comparata.“

*Socialistae* enim ius proprietatis traducunt tamquam humanum inventum et aequalitati hominum repugnans, affectant communionem bonorum, affirmantque ditiorum possessiones et iura impune violari posse.

Contra „*ecclesia* multo satius et utilius inaequalitatem inter homines . . . etiam in bonis possidendis agnoscit et ius proprietatis ac dominii ab ipsa natura profectum intactum cui libet et inviolatum esse iubet: novit enim furtum ac rapinam a Deo, omnis iuris auctore et vindice, ita fuisse prohibita, ut aliena vel concupiscere non liceat, furesque et raptores, non secus ac adulteri et idololatrae, a coelesti regno excludantur.“

„*Nec tamen idcirco pauperum curam negligit*, aut ipsorum necessitatibus consulere pia mater praetermittit . . ., sed probe noscens eos gerere personam Christi“, qui sibi collatum putat, quod pauperibus confertur, magno illos



habet in honore atque qua potest ope sublevat: erigendo varia hospitia, urgendo divites ad eleemosynam, solando eos exemplo Christi pauperis et pauperibus benedictis.

„Quis non videat, continuat Papa, *optimam hanc esse vetustissimi inter pauperes et divites dissidii componendi rationem?* Sicut enim ipsa rerum factorumque evidentia demonstrat, ea ratione reiecta aut posthabita, alterutrum contingat necesse est, ut vel maxima humani generis pars in turpissimam mancipiorum conditionem relabatur, quae diu penes ethnicos obtinuit, aut humana societas continuis sit agitanda motibus, rapinis ac latrociniiis funestanda, prouti recentibus etiam temporibus contigisse dolemus.“

Ad finem Summus Pontifex procurent, mandat, episcopi, „ut catholica doctrina in omnium animos inseratur“ atque alte descendat. „Satagite, alloquitur Papa episcopos, ut vel a teneris annis omnes assuescant Deum filiali amore complecti eiusque numen vereri; principum legumque maiestati obsequium praestare, a cupiditatibus temperare atque ordinem, quem Deus sive in civili sive in domestica societate constituit, diligenter custodire . . . Tandem opportunum videtur *artificum et opificum societates fovere*, quae sub religionis tutela constitutae omnes socios sua sorte contentos operumque patientes efficiant, et ad quietam et tranquillam vitam agendam inducant.“

### Cap. III.

#### De misera conditione opificum et remediis.<sup>1)</sup>

In encyclica „Novarum rerum“ Summus Pontifex agit *de conditione opificum* et quidem modo praeclarissimo, ita ut variis litibus de modo succurrendi opificibus finem imposuerit viamque ostenderit, quae ad conditionem opificum ordinandam infallibiliter ducit.

„Nova industriae incrementa, ait Summus Pontifex, novisque euntes itineribus artes; divitiarum in exiguo numero

<sup>1)</sup> Encycl. Novarum rerum.



affluentia, in multitudine inopia; mutatae dominorum et mercenariorum rationes mutuae; opificum cum de se confidentia maior, tum inter se necessitudo coniunctior; praeterea versi in deteriora mores effecere, ut certamen erumperet..., ita ut iam causa nulla reperiatur tanta, quae teneat hominum studia vehementius.“

Quo certamine commotus Pontifex non potest silere, sed ad salutem communem data opera ostendere atque inculcare „*principia, quorum ope, uti veritas atque aequitas postulant, dimicatio dirimatur.*“

Ast unde calamitosa conditio opificum? Leo XIII. ait: „Veteribus *artificum collegiis* superiore saeculo deletis, nulloque in eorum locum suffecto praesidio, cum ipsa instituta legesque publicae avitam religionem exuissent, sensim factum est, ut opifices inhumanitati dominorum effrenataeque competitorum cupiditati solitarios atque indefensos tempus traderit. Malum auxit *usura vorax*, quae, non semel ecclesiae iudicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem. Huc accedunt et *conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum redacta potestatem*, ita ut opulenti et praedivites perpauci prope servile iugum infinitae proletariorum multitudini imposuerint.“

Unde remedia ad sanationem? Summus Pontifex ea propinat ostendendo in primis *negative* remedia a socialistis praedicata non conducere ad finem, atque dein pertractando *positive*, quid ad sanandam societatem sit arripiendum.

### §. 1.

#### **Socialistae contra privatam possessionem.**

„Ad huius sanationem mali, docet Leo XIII., socialistae quidem, sollicitata egentium in divites invidia, *evertere privatas bonorum possessiones contendunt oportere*, earumque loco communia universis singulorum bona facere procurantibus viris, qui aut municipio praesint, aut totam rempublicam gerant.“



„Sed est adeo eorum ratio ad contentionem dirimendam *inepta*, ut ipsum *opificum genus afficiat incommodo*, eademque est praeterea valde *iniusta*, quia vim possessoribus legitimis affert, *pervertit officia reipublicae*, penitusque *miscet civitates*.“

### 1. *Doctrina socialistarum obest opificibus.*

Cur artifex in se opus suscipit, quem finem proxime spectat? „*Artifex rem sibi quaerit, ut privato iure illam propriam possideat.*“

„Is enim, observat Papa, si vires, si industriam alteri commodat, hanc ob causam commodat, ut res adipiscatur ad victum cultumque necessarias; ideoque ex opera data ius verum perfectumque sibi quaerit non modo exigendae mercedis, sed et collocandae uti velit. Ergo si tenuitate sumptuum quicquam ipse comparsit, fructumque parsimoniae suae . . . in praedio collocavit, profecto praedium istiusmodi nihil est aliud, quam merces ipsa aliam induta speciem; propterea emptus fundus tam est in potestate opificis futurus, quam parta labore merces. Sed in hoc plane . . . dominium rerum moventium vel solidarum consistit.“

In eo igitur, quod bona privatorum transferre socialista ad commune nituntur, *omnium mercenariorum faciunt conditionem deteriore*, quippe quos, collocandae mercedis libertate sublata, hoc ipso augendae rei familiaris utilitatumque comparandarum spe et facultate despoliant.“

### 2. *Doctrina socialistarum est iniusta.*

„Verum, prosequitur Summus Pontifex, quod maius est, *remedium proponunt cum iustitia aperte repugnans*, quia possidere res privatim ut suas, ius est homini a natura datum.“

Ad vitam tuendam, et ad conservationem generis sui animantibus sufficit usus rerum, quae ipsis sunt praesentes, ut pote ratione carentia atque solo sensu et rebus singularibus sensu perceptis ad motum excitata ulterius progredi



non possunt. Longe alia hominis natura. Quia ipsi tota natura animantis inest, ideo uti animantia omnia ipse quoque rerum corporearum bonis frui potest; at praeter hanc naturam homo ratione praeditus est, qua toto genere a belluis differt. Et ob hanc causam . . . bona homini tribuere necesse est non utenda solum, quod est omnium animantium commune, sed stabili perpetuoque iure possidenda, neque ea dumtaxat quae usu consumuntur, sed etiam quae nobis utentibus permanent.

Id magis patebit, si *natura hominis* altius spectetur. Homo ratione praeditus innumerabilia comprehendit praesentia et futura estque dominus suarum actionum, quam ob rem sub potestate Dei ipse se gubernat consilio proprio: ideo necessario indiget potestate eligendi res non modo in praesens sed et in futurum tempus idoneas; inde sequitur ius dominii non solum in terrae fructus, sed ipsius terrae, quae res ad futurum necessarias illi suppeditat. Suntque necessitates hominis perpetuo redeuntes, ideo rem quamdam debet homini natura dedisse stabilem perpetuoque mansuram, unde perennitas subsidii exspectari possit. Atqui istiusmodi perennitatem nulla alia res praestare potest, nisi cum ubertatibus suis terra.

„Quod vero, docet Leo XIII., terram Deus universo generi hominum utendam, fruendam dederit, id quidem non potest ullo pacto privatis possessionibus obesse. Deus enim generi hominum donavisse terram in commune dicitur, non quod eius promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriae hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione.“

Inde novum argumentum deducitur, *privatas possessiones plane esse secundum naturam*. Nam terra fructus ad conservandam et perficiendam vitam necessarios non fundit sine hominum *cultu et curatione*. „Jamvero cum in parandis naturae bonis industriam mentis viresque corporis homo insumat, hoc ipso applicat ad sese eam naturae corporeae partem, quam ipse percoluit, in quam velut formam quam-



dam personae suae impressam reliquit, ut omnino rectum esse oporteat, eam partem ab eo possideri uti suam, nec ullo modo ius ipsius violare cuiquam licere.“

Qui vero negat, possideri ab homine ut domino posse vel solum in quo aedificavit, vel praedium quod excoluit, non vident, hominem fraudatum iri rebus partis suo labore. „Ager quippe cultoris manu atque arte subactus habitum longe mutat: e silvestri frugifer, ex infecundo ferax efficitur. Quibus autem est rebus melior factus, illae sic solo inhaerent miscenturque penitus, ut maximam partem nullo pacto sint separabiles a solo. Atqui id quemquam potiri illoque perfrui, in quo alius desudavit, utrumne iustitia patiatur?“

Merito igitur *universitas generis humani* in lege ipsius naturae fundamentum reperit partitionis bonorum, omniumque saeculorum usu possessiones privatas, ut quae cum hominum natura pacatoque convictu maxime congruant, consecravit. Insuper leges civiles id ius confirmant ac vi etiam adhibenda tuentur. Denique idem *divinarum legum sanxit auctoritas*. quae vel appetere alienum gravissime vetant.

„Jura vero istiusmodi . . . multo validiora intelliguntur esse, si cum officiis hominum in *convictu domestico* apta et connexa spectentur.

Hominis liberae voluntati relinquitur eligere statum perpetuae virginitatis vel inire matrimonium. „Jus vero conjugii naturale ac primigenium homini adimere, causamve nuptiarum praecipuam, Dei auctoritate initio constitutam, quoque modo circumscribere lex hominum nulla potest.“

*Familia est vera societas*, eaque omni civitate anterior, „cui propterea sua quaedam iura officiaque esse necesse est, quae minime pendeant a republica.“

Huc pertinet *ius dominii*, quod personis singularibus natura tributum in hominem, qua caput est familiae, transferri oportet; immo tanto ius est illud validius, quanto persona humana in convictu domestico plura complectitur.“

„Sanctissima naturae lex est, ut victu omnique cultu paterfamilias tueatur, quos ipse procreavit; idemque illuc a



natura ipsa deducitur, ut velit liberis suis, quippe qui paternam referunt et quodam modo producunt personam, acquirere et parare, unde se honeste possint in ancipiti vitae cursu a misera fortuna defendere. Id vero efficere non alia ratione potest, nisi fructuosarum possessione rerum, quas ad liberos haereditate transmittit “

### 3. *Doctrina socialistarum pervertit officia reipublicae.*

Magnus ac perniciosus est error socialistarum, qui *reipublicae* potestatem tribuunt, „arbitratu suo in intima domorum pervadere.“

„Certe, docet Leo XIII., si quae forte familia in summa rerum difficultate consiliique inopia versetur, ut inde se ipsa expedire nullo pacto possit, rectum est subveniri publice rebus extremis: sunt enim familiae singulae pars quaedam civitatis. Ac pari modo, sicubi intra domesticos parietes gravis extiterit perturbatio iurium mutuorum, suum cuique ius potestas publica vindicatio: neque enim hoc est ad se rapere iura civium, sed munire atque firmare iusta debitaque tutela.“

„Hic tamen consistant necesse est, qui praesint rebus publicis; hos excedere fines natura non patitur. *Patria potestas est* eiusmodi, ut nec exstingui, nec absorberi a republica possit, quia idem ac commune habet cum ipsa hominum vita principium. Filii sunt aliquid patris, et velut paternae amplificatio quaedam personae; proprieque loqui si volumus, non ipsi per se, sed per communitatem domesticam, in qua generati sunt, civilem ineunt ac participant societatem. Atqui hac ipsa de causa, quod „filii sunt naturaliter aliquid patris . . ., antequam usum liberi arbitrii habeant, continentur sub parentum cura.“<sup>1)</sup> Quod igitur Socialistae, posthabita providentia parentum, introducunt providentiam reipublicae, faciunt contra iustitiam naturalem, ac domorum compaginem dissolvunt.“

<sup>1)</sup> S. Thom. II. II q. 10. a. 12.



Insuper familia *vera est societas*, „quae potestate propria, hoc est paterna, regitur. Quamobrem, servatis utique finibus, quos proxima eius causa praescripserit, in deligendis adhibendisque rebus incolumitati ac iustae libertati suae necessariis, familia quidem paria saltem cum societate civili iura obtinet. Paria saltem diximus, quia cum convictus domesticus et cogitatione sit et re prior, quam civilis coniunctio, priora quoque esse magisque naturalia iura eius officiaque consequitur.“

„Quod si cives, si familiae, convictus humani societatisque participes factae, pro adiumento offensionem, pro tutela deminutionem iuris sui in republica reperirent, fastidenda citius quam optanda societas esset.“

#### 4. *Doctrinam socialistarum consequitur rerum omnium perturbatio.*

*Humana societas*, composita secundum doctrinam socialistarum, susdeque perturbaretur, odiosaque et dura inde servitus civium consequeretur.

„Aditus ad invidentiam mutuum, ad obtreccationes et discordias patefieret; ademptis ingenio singulorum sollertiaeque stimulis ipsi divitiarum fontes necessario exarescerent; eaque, quam fingunt cogitatione, eaquabilitas aliud revera non esset, nisi omnium hominum aequae misera atque ignobilis, nullo discrimine, conditio.“

„Ex quibus omnibus perspicitur, illud socialismi placitum de possessionibus in commune redigendis omnino repudiari oportere . . . et, cum plebi sublevatio quaeritur, hoc in primis haberi fundamenti instar oportere, privatas possessiones inviolate servandas.“

#### §. 2.

#### *Remedia apta ad sanationem.*

Refutata doctrina socialistarum explicari debet, unde *desolato opificum statui certum remedium afferri possit*. Summus Pontifex in citata encyclica docet, ad sublevandum



opificibus concurrere debere *ecclesiam, rempublicam, nec non dominos ipsos ac locupletes simul cum proletariis*, simulque indicat, quid singuli ordines pro natura sua ad sanationem miseriae conferre debeant.

### 1. *Auxilium ab ecclesia.*

Leo XIII. affirmat, *inania conata hominum futura ecclesiâ posthabitâ*, simulque hanc suam affirmationem variis argumentis probat.

#### a) *Ecclesia homines instruit.*

„Videlicet ecclesia est, quae *promit ex evangelio doctrinas*, quarum virtute aut plane componi certamen potest, aut certe fieri, detracta asperitate, mollius.“ Quenam sunt haec utilissima doctrinae evangelicae capita?

#### α *Ferenda est conditionis inaequalitas.*

Certe impossibile est, in societate civili imma summis fieri paria, quae socialistarum contentio est contra rerum naturam: ideo *ferenda est dissimilitudo in conditione humana*.

„Sunt enim, docet Leo XIII., in hominibus maximae plerimaeque *naturâ* dissimilitudines: non omnium paria ingenia sunt, non sollertia, non valetudo, non vires; quarum rerum . . . . *discrimen sua sponte* sequitur fortuna dispar. Idque plane ad usus cum privatorum tum communitatis *accomodate*: indiget enim variâ ad res gerendas facultate vita communis, ad quae fungenda munera potissimum impelluntur homines differentia rei cuiusque familiaris.“

„Et ad *corporis laborem* quod attinet, in ipso statu innocentiae non iners omnino erat homo futurus; at vero quod ad animi delectationem tunc libere quaesivisset voluntas, id postea in expiationem culpa subire non sine molestiae sensu cogit necessitas. „Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae.“<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Gen. 3, 17.



„Simili modo *finis acerbitatum reliquarum in terris nullus est futurus*, quia mala peccati consecraria aspera ad tollerandum sunt, dura, difficilia, eaque homini usque ad ultimum vitae comitari est necesse. Itaque pati et perpeti humanum est, et ut homines experiantur ac tentent omnia, istiusmodi incommoda evellere a humano convictu penitus nulla vi, nulla arte poterunt. Si qui id se profiteantur posse, si miserae plebi vitam polliceantur omni dolore molestiaque vacantem et refertam quiete ac perpetuis voluptatibus, vae illi populo imponunt fraudemque struunt in mala aliquando erupturam maiora praesentibus.“

„Optimum factu res humanas, ut se habent, ita con-  
tueri simulque opportunum incommodis levamentum . . . .  
aliunde petere.“

β. *Utraque classis hominum altera alterius indiget.*

In tractanda quaestione sociali illud est „*capitale ma-  
lum*, opinione fingere *alterum ordinem sua sponte infensum  
alteri*, quasi locupletes et proletarios ad digladiandum inter  
se pertinaci duello natura comparaverit.“

„Quod adeo a ratione abhorret et a veritate, ut contra  
verissimum sit, quo modo in corpore diversa inter se membra  
conveniunt . . . , eodem modo naturam in civitate praecepisse,  
ut geminae illae classes congruant inter se concorditer, sibi-  
que convenienter ad aequilibritatem respondeant. *Omnino  
altera alterius indiget*; non res sine opera, nec sine re  
potest opera consistere. *Concordia* gignit pulchritudinem  
rerum atque ordinem, contra *ex perpetuitate certaminis* oria-  
tur necesse est cum agresti immanitate confusio. Ad certamen  
vero dirimendum, ipsasque eius radices amputandas mira  
vis est institutorum christianorum, eaque multiplex.“

γ. *Vis religionis ad componendam litem.*

„Tota disciplina religionis, cuius est custos et interpret  
ecclesia, magnopere potest locupletes et proletarios compo-  
nere invicem et coniungere, scilicet *utroque ordine ad officia  
mutua revocando*, inprimis ad ea, quae a iustitia ducuntur.“



## Officia proletarii.

Quibus ex *officiis illa proletarium atque opificem attingunt*: quod libere et cum aequitate pactum operae sit, id integre et fideliter reddere; non rei ullo modo nocere; non personam violare dominorum; in ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec seditionem induere unquam; nec commiseri cum hominibus flagitiosis, immodicas spes et promissa ingentia artificiose iactantibus, quod fere habet poenitentiam inutilem et fortunarum ruinas consequentes.“

## Officia domini.

„Ista vero, continuat Pontifex, ad *divites spectant ac dominos*: non habendos mancipiorum loco opifices; vereri in eis aequum esse dignitatem personae, utique nobilitatam ab eo, character christianus qui dicitur. Quaestuosas artes, si naturae ratio, si christiana philosophia audiatur, non pudori homini esse, sed decori, quia vitae sustentandae praebent honestam potestatem; illud vero turpe et inhumanum abuti hominibus pro rebus ad quaestum, nec facere eos pluris, quam quantum nervis polleant viribusque. Similiter praecipitur, religionis et bonorum animi haberi rationem in proletariis oportere; quare dominorum partes esse, efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet artifex; non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi; neque ullo pacto a cura domestica parsimoniaeque studio abducere. Item non plus imponere operis, quam vires ferre queant, nec id genus, quod cum aetate sexuque dissideat.“

„In *maximis autem officiis dominorum illud eminet, iusta unicuique praebere*. Profecto, ut mercedis statuatur ex aequitate modus, causae sunt considerandae plures; sed generatim locupletes atque heri meminerint, premere emolumentum sui causa indigentes ac miseros, alienaque ex opera captare quaestum, non divina, non humana iura sinere. Fraudare vero quemquam mercede debita grande piaculum est, quod iras e coelo ultrices clamore devocat. . . .“



„Postremo *religiose cavendum*, ne proletariorum compendiis quicquam noceant nec vi, nec dolo, nec fenebribus artibus; idque eo vel magis, quod non satis illi sunt contra iniurias atque impotentiam muniti, eorumque res, quo exilior, hoc sanctor habenda.“

„His obtemperatio legibus, interrogat Papa, nonne posset vim causasque dissidii vel sola restinguere“?

ð. *Ecclesia utramque classem amicitia coniungit.*

„Ecclesia, *Jesu Christo magistro et duce*, persequitur maiora: videlicet perfectius quidquam praecipiendo illuc spectat, ut *alterum ordinem . . . amicitia alteri coniungat.*“ Sed quomodo?

*Terrena rite iudicari non possunt, nisi iudicium innitatur dogmate christiano de futura vita aeterna*, unde patet bona esse, quae ad vitam aeternam conducunt, mala vero, quae ab illa avertunt, immo affluentiam bonorum ad aeternam beatitudinem nihil proficere, nisi eorum honestus sit usus.

Deinde id non praetermittendum, *quod Christus acerbitates huius mundi non abstulit, sed in virtutum incitamenta, materiamque bene merendi convertit.* Qui cum Christo regnare vult, sustinere debet cum illo, qui laboribus sponte susceptis laborum vim delinivit, nec solum exemplo, sed gratia sua perpetuaeque mercedis spe proposita perpersionem dolorum effecit faciliorem.

Unde *variae doctrinae* emanant tam pro locupletibus, quam pro proletariis.

Quid locupletes sentire oporteat?

„Ipsi *fortunati*, docet Leo XIII., *monentur . . . ad felicitatem aevi sempiterni divitias non prodesse, sed potius obesse*,<sup>1)</sup> terrori locupletibus esse debere *Jesu Christi insuetas minas*<sup>2)</sup>; rationem de usu fortunarum Deo iudici servissime aliquando reddendam.“

1) Matth. 19, 23, 24. — 2) Luc. 6, 24, 25.



„De ipsis opibus utendis excellens ac maximi momenti doctrina est . . ., qua iusta possessio pecuniarum a iusto pecuniarum usu distinguitur. Bona privatim possidere . . ., ius est homini naturale . . . at vero si illud quaeritur, qualem esse usum bonorum necesse sit, ecclesia quidem sine ulla dubitatione respondet: „quantum ad hoc non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes, ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum. Unde apostolus dicit: divitibus huius saeculi praecipe . . . facile tribuere, communicare.“<sup>1)</sup> Nemo certe opitulari aliis de eo iubetur, quod ad usus pertineat cum suos, tum suorum necessarios; immo nec tradere aliis, quo ipse egeat ad id servandum, quod personae conveniat. . . . Sed ubi *necessitati satis et decoro datum, officium est de eo quod superat gratificari indigentibus.*“ Hoc est *opus caritatis*, quod lege extorqueri non potest; sed habemus iudicium et legem Christi, qui multis modis eleemosynam suadet „et collatam negatamve beneficentiam perinde est ac *sibi* collatam negatamve iudicaturus. . . . Quarum rerum haec summa est: quicumque maiorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc causam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum.“

Quid proletarios sentire oporteat?

„Ab ecclesia edocentur, ait Papa, *non probro haberi Deo iudice paupertatem*, nec eo pudendum, quod victus labore quaeratur. Idque confirmavit re et facto Christus Dominus, qui pro salute hominum „egenus factus est, cum esset dives“,<sup>2)</sup> cumque esset filius Dei et Deus ipsemet, videri tamen ac putari fabri filius voluit; quin etiam magnam viatae partem in opere fabrili consumere non recusavit...“

Inde facilius intelligitur, *veram dignitatem hominis positam esse in virtute*, quam omnes aequae comparare sibi possunt atque cui soli beatitudo aeterna promittitur.

<sup>1)</sup> S. Thom. II. II. q. 66. a. 2 — <sup>2)</sup> I. Cor. 8, 9.



„Immo vero, asserit Leo XIII., in *calamitosum genus propensior Dei ipsius videtur voluntas*: beatos enim Jesus Christus nuncupat pauperes, 1) invitat peramanter ad se, solatii causa, quicumque in labore sint ac luctu; 2) infimos et iniuria vexatos complectitur caritate praecipua. Quarum cognitione rerum facile in *fortunatis deprimitur tumens animus, in aerumnis demissus extollitur*: alteri ad facilitatem, alteri ad modestiam flectuntur.“

Nonne hisce doctrinis imbuti cum proletarii, tum locupletes prout efficiuntur manus amicas sibi porrigere nec non dissidia componere, inimicitias deponere? nonne amicitia, immo amore fraterno inter se coniungentur? Sentient enim et intelligent, omnes a communi parente Deo esse procreatos, ad eundem finem ultimum vocatos, ab eodem Redemptore salvatos atque ad dignitatem filiorum Dei evectoros, ergo plane necessitudine fraterna inter se et cum Christo Jesu devinctos. „Item intelligent, naturae bona, munera gratiae divinae pertinere communiter et promiscue ad genus hominum universum, nec quemquam, nisi indignum, bonorum coelestium fieri exhaeredem.“

#### b) Ecclesia populos educat.

„Nec satis habet ecclesia *viam inveniendae curationis ostendere, sed admovet sua manu medicinam*. Nam tota in eo est, ut ad disciplinam doctrinamque suam excolat homines atque instituat . . . opera episcoporum et cleri . . .“

„Deinde pervadere in animos nititur flectereque voluntates, ut *divinorum disciplina praeceptorum regi se gubernarique* patiantur. Atque in hac parte, quae princeps est et permagni momenti, quia summa utilitatum causaque tota in ipsa consistit, ecclesia quidem una potest maxime. Quibus enim instrumentis ad permovendos animos utitur, ea sibi hanc ipsam ob causam tradita a Jesu Christo sunt, virtutemque habent divinitus insitam. Istiusmodi instrumenta sola sunt, quae cordis attingere penetrales sinus apte queant, homi-

1) Matth. 5, 3. — 2) Matth. 11, 28.



nemque adducere, ut obedientem se praebeat officio, motus animi appetentis regat, Deum et proximum caritate diligat singulari ac summa omniaque animose perrumpat, quae virtutis impediunt cursum.“

Dein Pontifex facta commemorat *ex historia*, unde vis ecclesiae ad educandos et beandos populos patet: renovatam civilem hominum communitatem, ad meliora promotum genus humanum, immo revocatum ab interitu ad vitam, auctumque ad perfectionem prius inauditam; id vero factum esse eo, quod vita Jesu pervaserit civitates, eiusque fide et legibus totas imbuerit.

„Quare, pergite Pontifex, *si societati generis humani medendum est, revocatio vitae institutorumque christianorum sola medebitur*. De societatibus enim dilabentibus illud rectissime praecipitur, revocari ad origines suas, cum restitui volunt, oportere“, ita ut motus actusque sociales eadem causa pariat, quae peperit societatem.

c) Ecclesia vitam terrenam non negligit.

„*Nec tamen putandum*, monet Leo XIII., in colendis animis totas esse ecclesiae curas ita defixas, ut ea *negligat, quae ad vitam pertinent mortalem et terrenam*.“

„De *proletariis* nominatim vult et contendit, ut emergant a miserrimo statu fortunamque meliorem adipiscantur. Atque in id confert hoc ipso operam non mediocrem, quod *vocat atque instituit homines ad virtutem*. Mores enim christiani . . . partem aliquam prosperitatis sua sponte pariunt rebus externis, quia conciliant principium ac fontem omnium bonorum Deum, coercent geminas vitae pestes . . . *rerum appetentiam nimiam et voluptatum sitim*, contenti denique cultu victuque frugi vectigal parsimonia supplent, procul a vitiiis, quae . . . maximas etiam copias exhauriunt. . . .“

„Sed praeterea, ut *bene habeant proletarii*, recta providet *instituendis fovendisque rebus*, quas ad sublevandam eorum inopiam intelligit conducibiles. Quin in hoc etiam genere beneficiorum ita semper excelluit, ut ab ipsis *inimicis* praedicatione efferatur. . . .“



Pontifex dein commemorat *diaconos*, quibus incubuit cura pauperum, *Paulum* apostolum eiusque itinera in favorem pauperum christianorum. „Cuius generis pecunias a christianis in unoquoque conventu ultro collatas, „deposita pietatis“ nuncupat Tertullianus, quod scilicet insumerentur „egenis alendis humanisque et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, inque domesticis senibus, item naufragis.“ 1) Hinc *sensim illud extitit patrimonium*, quod religiosa cura tamquam rem familiarem *indigentium* ecclesia custodivit.“

Ecclesia *rogando quoque eleemosynas* subsidia comparavit egentibus, dein excitata christiana caritate *instituta* varia fundavit religiosorum, ita ut genus miseriarum prope nullum esset, quod solatio careret. Ast hodie multi ecclesiam etiam caritatis arguunt atque eam respuunt, cuius in locum subrogare visum est constitutam legibus publicis beneficentiam. Sed *quae christianam caritatem suppleant, totam se ad alienas porrigentem utilitates, artes humanae nullae reperientur*. Ecclesiae solius est illa virtus, quia nisi a sacratissimo Jesu Christi Corde ducitur, nulla est uspiam: vagatur autem a Christo longius, quicumque ab ecclesia discesserit.“

Sed, quidquid sit, omnes concurrant ad sublevandam miseriam proletariorum.

## 2. *Auxilium a republica expectandum.*

„Jamvero quota *pars remedii a republica expectanda* sit, praestat requirere. Rempublicam hoc loco intelligimus non quali populus utitur unus vel alter, sed qualem et vult recta ratio naturae congruens, et probant divinae documenta sapientiae.“

### a) *Respublica debet conferre opem.*

*Per quos civitas regitur*, docet Summus Pontifex, *primum conferre operam generatim* atque universe debent tota ratione legum atque institutorum, scilicet efficiendo, ut ex

1) Apol. cap. 39.



ipsa conformatione atque administratione reipublicae ultro prosperitas tam communis quam privatorum efflorescat. Id est enim civilis prudentiae munus, propriumque eorum, qui praesunt, officium.“

„Nunc vero illa *maxime efficiunt prosperas civitates*: morum probitas, recte atque ordine constitutae familiae, custodia religionis ac iustitiae, onerum publicorum cum moderata irrogatio, tum aequa partitio, incrementa artium et mercaturae, florens agrorum cultura, et si qua sunt alia generis eiusdem, quae quo maiore studio provehuntur, eo melius sunt victuri cives et beatius.“

„*Harum virtute rerum* in potestate rectorum civitatis est, ut *ceteris prodesse ordinibus, sic et proletariorum conditionem iuvare plurimum*; idque iure suo optimo, neque ulla cum importunitatis suspitione: debet enim respublica ex lege muneris sui in commune consulere. Quo autem commodorum copia provenerit ex hac generali providentia maior, eo minus oportebit alias ad opificum salutem experiri vias.“

„Sed illud praeterea considerandum . . . , *unam civitatis esse rationem communem summorum atque infimorum*. Sunt nimirum proletarii *pari iure cum locupletibus natura cives*, hoc est partes verae . . . reipublicae, ut ne illud adiungatur, in omni urbe eos esse numero longe maximo.“ Inde sequitur, in salute et commodis proletariorum tuendis curas debitas collocari publice oportere: secus violaretur iustitia, quae suum cuique tribuere praecipit. „Proinde in officiis non paucis neque levibus . . . principum illud in primis eminet, ut unumquemque civium ordinem aequabiliter tueantur, eâ nimirum, quae distributiva appellatur, iustitiâ inviolate servanda.“

Omnes cives ad commune bonum civitatis conferre debent, *non tamen omnes eadem mensura conferre possunt*. Nam in qualibet civitate semper futura sunt magna civium discrimina. „Omnino necesse est, pergunt Leo XIII., quosdam reperiri, qui reipublicae se dedant, qui leges condant, qui ius dicant, denique quorum consilio et auctoritate negotia



urbana, res bellicae administrentur. *Quorum virorum priores esse partes, eosque habendos in omni populo primarios nemo non videt, propterea quod communi bono dant operam proximam atque excellenti ratione.*“

„Contra vero ii, qui in arte aliqua exercentur, non eâ, quâ illi, ratione, nec iisdem muneribus prosunt civitati; sed tamen plurimum et ipsi, quamquam minus directe, utilitati publicae inserviunt.“

„Sane sociale bonum cum debeat esse eiusmodi, ut homines fiant eius adeptione meliores, est profecto in virtute praecipue collocandum. Nihilominus ad bene constitutam civitatem suppeditatio quoque pertinet bonorum corporis atque externorum, „quorum usus est necessarius ad actum virtutis.“<sup>1)</sup> Jamvero his pariendis bonis est *proletariorum maxime efficax et necessarius labor*, sive in agris artem atque manum, sive in officinis exercent. Immo eorum in hoc genere vis est atque efficientia tanta, ut illud *verissimum sit, non aliunde quam ex opificum labore gigni divitias civitatum. Jubet igitur aequitas, curam de proletario publice geri*, ut ex eo, quod in communem affert utilitatem, percipiat ipse aliquid, ut tectus et vestitus, ut salvus vitam tolerare minus aegre possit.“

„Unde consequitur, *favendum rebus omnibus esse, quae conditioni opificum quoque modo videantur profuturæ. Quae cura tantum abest ut noceat cuiquam, ut potius profutura sit universis, quia non esse omnibus modis eos miseros, a quibus tam necessaria bona proficiscuntur, prorsus interest reipublicae.*“

Revera, rectum non esset, si cives vel familiae a republica absorberentur; *nihilominus eis, qui imperant, videndum est, ut communitatem eiusque partes tueantur*, ita quidem, ut „si quid detrimenti allatum sit, aut impendeat rebus communibus, aut singulorum ordinum rationibus, quod sanari aut prohiberi alia ratione non possit, *obviam iri auctoritate publica necesse sit.*“

<sup>1)</sup> S. Thom. de reg. princip. I. c. 15.



„Atqui, prosequitur Leo XIII., interest salutis cum publicae, tum privatae pacatas esse res et compositas; item dirigi ad Dei iussa naturaeque principia omnem convictus domestici disciplinam; observari et coli religionem; florere privatim ac publice mores integros; sanctam retineri iustitiam, nec alteros ab alteris impune violari; validos adolescere cives iuvandae tutandaeque . . . civitati idoneos. Quamobrem si quando fiat, ut quippiam turbarum impendeat ob secessionem opificum aut intermissas ex composito operas; ut naturalia familiae nexa apud proletarios laxentur; ut religio in opificibus violetur non satis impertiendo commodi ad officia pietatis; si periculum in officinis morum integritati ingruat a sexu promiscuo, aliisque perniciosis invitamentis peccandi; aut opificum ordinem herilis ordo iniquis premat oneribus, vel alienis a persona et dignitate humana conditionibus affligat; si valetudini noceatur opere immodico, nec ad sexum aetatemque accommodato: *his in causis plane adhibenda, certos intra fines, vis et auctoritas legum*. Quos fines eadem, quae legum poscit opem, causa determinat: videlicet non plura suscipienda legibus, nec ultra progrediendum, quam incommodorum sanatio vel periculi depulsio requirat.“

*Jurà omnium sancte servanda sunt; in protegendis vero privatorum iuribus „praecipue est infirmorum atque inopum habenda ratio; siquidem ratio divitum, suis septa praesidiis, minus eget tutela publica . . . quocirca mercenarios, cum in multitudine egena numerentur, debet cura providentiaque singulari complecti respública.“*

b) De iis, quorum specialis cura reipublicae incumbit.

„Sed, prosequitur Summus Pontifex, quaedam *maioris momenti* praestat nominatim perstringere.

α. Quoad privatas possessiones.

„*Caput* autem est, asserit Leo XIII., *imperio ac munitamento legum tutari privatas possessiones oportere*. Potissimum in tanto cupiditatum ardore continenda in officio plebs.“



Licet contendere ad meliora non repugnante iustitia; verum per speciem absurdae cuiusdam aequabilitatis aliena rapere, vetat iustitia, nec ipsa communis utilitatis ratio sinit. Utique maior pars opificum honesto labore res sibi meliores comparare nititur, sunt tamen, qui decepti pravis doctrinis turbas movent, et ceteros ad vim impellunt. Intersit igitur reipublicae auctoritas, quae concitatores cohibeat, omniumque iura defendat.

β. *Quoad cessationem ex composito ab opera (Strike).*

Saepius accidit, ut artifices tempus labori destinatum imminuere, mercedem vero augere cupientes „*opere se solvant ex composito*, otioque dedant voluntario.“

Cui quidem incommodo usitato et gravi *medendum publice*, quia genus istud cessationis non heros dumtaxat, atque opifices ipsos afficit damno, sed *mercaturis obest reique publicae utilitatibus*; cumque haud procul esse a vi turbisque soleat, saepenumero tranquillitatem publicam in discrimen adducit.“

„Qua in re illud magis efficax ac salubre, aut evertere auctoritate legum, malumque ne erumpere possit prohibere, *amotis mature causis*, unde dominorum atque operariorum conflictus videatur extiturus.“

γ. *Quoad requiem in diebus festis.*

„Simili modo, docet Leo XIII., plura sunt in opifice praesidio munienda reipublicae: ac primum *animi bona*.“ Vita mortalis non est ultimum, ad quod nati sumus, sed via tantummodo ad ultimum finem. Animus gerit expressam imaginem divinam, in eaque principatus ille residet, per quem dominari iussus est homo in inferiores naturas. Sunt vero hac in re omnes homines pares: nam idem Dominus omnium<sup>1)</sup> „Nemini licet hominis dignitatem impune violare, nec ad eam perfectionem impedire cursum, quae sit vitae in coelis sempiternae consentanea. Quin etiam in hoc genere tractari se non convenienter naturae suae, animique servi-

<sup>1)</sup> Rom. 10, 12.



tutem servire velle, ne sua quidem sponte homo potest: neque enim de iuribus agitur, de quibus sit integrum homini, verum de officiis adversus Deum, quae necesse est sancte servari.“

„Hinc consequitur *requies operum et laborum per dies festos necessaria*. Id tamen nemo intelligat de maiore quadam inertis otii usura, multo minus de cessatione, qualem multi expetunt, faultrice vitiorum et ad effusiones pecuniarum adiutrice, sed omnino de *quiete operum per religionem consecrata*. Coniuncta cum religione quies revocat hominem a laboribus negotiisque vitae quotidianae, ut ad cogitanda revocet bona coelestia, tribuendumque cultum Numini aeterno iustum ac debitum.“

δ. *Quoad durationem quotidiani operis.*

Opifices eripiantur e saevitia hominum cupidorum, qui personis pro rebus ad quaestum intemperanter abutuntur. Iniustum, inhumanum est, tantum exigere operis, ut animus hebescat, corpus defatigatione succumbat. „De *quotidiano igitur labore videndum ne in plures extrahatur horas, quam vires sinant*. Intervalla vero quiescendi quanta esse oporteat, ex vario genere operis, ex adiunctis temporum et locorum, ex ipsa opificum valetudine diiudicandum.“

Deinde enumerat Pontifex opera subterranea ad effodenda metalla et alia, in quibus labor difficilior et valetudini minus favens, qui ergo compensandus cum brevitate temporis. Universim tantum tribuatur otii, quantum cum viribus compensetur labore consumptis. Semper vero huic duplici quieti cautum sit, „neque enim honestum esset convenire secus, quia nec postulare cuiquam fas est nec spondere neglectum officiorum, quae vel Deo vel sibimetipsi hominem obstringunt.“

ε. *Quoad labores puerorum et feminarum.*

„Denique, prosequitur Papa, quod facere enitique vir adulta aetate beneque validus potest, id a *femina puerove* non est aequum postulare. Immo de *pueris valde cavendum*, ne prius officina capiat, quam corpus, ingenium, animum



satis firmaverit aetas. Erumpentes enim in pueritia vires . . . agitatio praecox elidit, qua ex re omnis est institutio puerilis interitura. Sic certa quaedam artificia *minus apte conveniunt in feminas ad opera domestica natas*: quae quidem opera et tuentur magnopere in muliebri genere decus et liberorum institutioni prosperitatique familiae natura respondent.“

#### ζ. Quoad salarium.

„Rem hoc loco attingimus sat magni momenti, ait Leo XIII., quae recte intelligatur necesse est, in alterutram partem ne peccetur.“

Salarium definitur libero consensu; si dominus illud solvit, putat se obligationi satisfecisse. Iniustitiam a republica reprimendam tunc solum adesse dicunt, cum dominus pretium conductum vel opifex obligatas operas non reddat.

Verumtamen haec sententia omni ex parte probari non potest: „momentum quoddam rationis, ait Pontifex, abest maximi ponderis. *Hoc est enim operari: exercere se rerum comparandarum causa, quae sint ad varios vitae usus, potissimum ad tuitionem sui necessariae.* „In sudore vultus tui vesceris pane“. <sup>1)</sup> Itaque *duas velut notas habet in homine labor natura insitas*, nimirum ut *personalis* sit, quia vis agens adhaeret personae atque eius omnino est propria, a quo exercetur et cuius est utilitati nata; deinde ut *sit necessarius* ob hanc causam, quod fructus laborum est homini opus ad vitam tuendam; vitam autem tueri ipsa rerum... natura iubet.“

„Jamvero si labor ex ea dumtaxat parte spectetur, quod *personalis* est, non est dubium, quin integrum opifici sit pactae mercedis angustius finire modum: quemadmodum enim operas dat ille voluntate, sic et operum mercede vel tenui vel plane nulla contentus esse voluntate potest. Sed longe *aliter iudicandum, si cum ratione personalitatis ratio coniungitur necessitatis*, cogitatione non re ab illa separabilis. Reapse manere in vita, commune singulis officium est, cui scelus est deesse. Hinc ius reperiendarum rerum, quibus

<sup>1)</sup> Gen. 3, 19.



vita sustentatur, necessario nascitur, quarum rerum facultatem infimo cuique non nisi quaesita labore merces suppeditat.“

„Esto igitur, ut opifex atque herus libere in idem placitum ac nominatim in salarii modum consentiant: subest tamen semper aliquid ex iustitia naturali, idque libera paciscentium voluntate maius et antiquius, scilicet *alendo opifici*, frugi quidem et bene morato, *haud imparem esse mercedem oportere*. Quod si necessitate opifex coactus... durio rem conditionem accipiat... istud est subire vim, cui iustitia reclamat.“

In his quaestionibus omnibus solutio reservata sit *iudicio collegiorum*, de quibus infra sermo erit; tutela et praesidium reipublicae non accedat nisi necessitate compellente.

Inde fructus optimi emanabunt. „Mercedem si ferat opifex satis amplam, ut ea se uxoremque et liberos tueri queat, facile studebit parsimoniae, si sapit, efficietque, quod ipsa videtur natura monere, ut detractis sumptibus aliquid etiam redundet, quo sibi liceat ad modicum censum pervenire.“

#### η. *Utilitates inde provenientes.*

*Causa socialis facilius poterit dirimi*, si ius privatorum bonorum legibus sancitum maneat, atque si *legibus*, quantum fieri potest, *provisum fuerit, ut quam plurimi bona sibi acquirere malint et possint*. Inde praeclarae utilitates consequutur: sunt:

Inprimis sequetur certa *aequior partitio bonorum*. Nunc *urbes in duas partes divisae* reperiuntur. „Et quidem ex una parte *factio praepotens*, quia praedives: quae cum operum et mercaturae universum genus sola potiat, facultatem omnem copiarum effectricem ad sua commoda ac rationes trahit, atque in ipsa administratione reipublicae non parum potest. Ex altera parte *inops atque infima multitudo* exulcerato animo et ad turbas semper parato. Jamvero si plebis excitetur industria in spem adipiscendi quippiam, quod solo contineatur, sensim fiet, ut alter ordo evadat finitimus alteri, sublato inter summas divitias summamque egestate discrimine.“

„Praeterea rerum, quas terra gignit, *maior est abundantia* futura. Homines enim, cum se elaborare sciunt in



suo, alacritatem adhibent studiumque longe maius: immo prorsus adamare terram instituunt sua manu percultam, unde non alimenta tantum, sed etiam quamdam copiam et sibi et suis expectant.“

Exinde divitiae augebuntur civitatis et „tertio loco exinde *illud emanabit commodi*, ut qua in civitate homines editi susceptique in lucem sint, *ad eam facile retineantur*: neque enim patriam cum externa regione commutarent, si vitae degendae tolerabilem daret patria facultatem.“

„Non tamen, monet Leo XIII., ad haec commoda perveniri *nisi ea conditione potest, ut privatus census ne exhaustur immanitate tributorum et vectigalium*. Jus enim possidendi privatim bona cum non sit lege hominum sed natura datum, non ipsum abolere, sed tantummodo ipsius usum temperare et cum communi bono componere auctoritas publica potest. *Faciet igitur iniuste atque inhumane*, si de bonis privatorum plus aequo tributorum nomine detraxerit.“

### 3. Quid in hac re possint domini et opifices.

„Postremo *domini ipsique opifices* multum hac in causa possunt, iis videlicet *institutis*, quorum ope et oportune subveniatur indigentibus et ordo alter propius accedat ad alterum.“

#### a) Sodalitia ad suppetias mutuo ferendas.

„Numeranda in hoc genere, docet Leo XIII., *sodalitia ad suppetias mutuo ferendas*, ad cavendum opifici, itemque orbitati uxoris et liberorum, si quid subitum ingruat, si debilitas afflixerit, si quid humanitus accidat; deinde instituti patronatus pueris, puellis, adolescentibus natuque maioribus tutandis.“

#### b) Sodalitia artificum.

„Sed principem locum obtinent *sodalitia artificum*, quorum complexu fere cetera continentur. Fabrum corporum apud maiores nostros diu bene facta constitere. Revera non modo utilitates praeclaras artificibus, sed artibus



ipsis, quod perplura monumenta testantur, decus atque incrementum peperere. Eruditiore nunc aetate, moribus novis, auctis etiam rebus, quas vita quotidiana desiderat, profecto sodalitia opificum flecti ad praesentem usum necesse est.“

Vulgo coiri eius generis societates, sive totas ex opificibus conflatas, sive ex utroque ordine mixtas, gratum est; optandum vero, ut numero et actuosa virtute crescant.

c) Sodalitia iure naturae coalescunt.

„*Virium suarum explorata exiguitas impellit hominem, atque hortatur, ut opem sibi alienam velit adiungere.* Sacrarum litterarum est illa sententia: „melius est duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suae. Si unus ceciderit, ab altero fulcitur<sup>1)</sup>.“ Hac homo proensione naturali sicut ad coniunctionem ducitur congregationemque civilem, sic et alias cum civibus inire societates expetit, exiguas quidem illas, nec perfectas, sed societates tamen.“

„Inter has et magnam illam societatem ob differentes causas proximas interest plurimum. Finis enim societati civili propositus pertinet ad universos, quoniam communi continetur bono, cuius omnes et singulos pro portione compotes esse ius est... Contra vero, quae in eius velut sinu iunguntur societates, privatae habentur et sunt, quia videlicet illud, quo proxime spectant, privata utilitas est, ad solos pertinens consociatos...“

„Nunc vero, *quamquam societates privatae existunt in civitate eiusque sunt velut partes totidem, tamen universe ac per se non est in potestate reipublicae ne existant prohibere.* Privatas enim societates inire concessum est homini iure naturae: est autem ad praesidium iuris naturalis instituta civitas, non ad interitum; eaque si civium coetus sociari veterit, plane secum pugnancia agat, propterea quod tam ipsa quam coetus privati uno hoc e principio nascuntur: quod homines sunt natura congregabiles.“

„*Incidunt aliquando tempora, asserit Summus Pontifex, cum ei generi communitatum rectum sit leges obsistere: sci-*

<sup>1)</sup> Eccl. 4, 9. 10.



licet si quidquam ex instituto persequantur, quod cum *probitate, cum iustitia, cum reipublicae salute aperte dissideat*. Quibus in causis iure quidem potestas publica, quominus illae coalescant, impedit, iure etiam dissolvit coalitas; summam tamen adhibeat cautionem necesse est, ne iura civium migrare videatur, nec quidquam per speciem utilitatis publicae statuatur, quod ratio non probet. Eatenus enim obtemperandum legibus, quoad cum recta ratione adeoque cum lege Dei sempiterna consentiant.“

Hortatur dein Papa artifices, ut inter se sodalitia condant, viresque suas hoc pacto coniungant, ut se animose queant redimere ab oppressione aliarum consociationum, quae nomini christiano sunt offensae atque occupata efficiendorum operum universitate id agunt, ut qui secum consociari recusarint, luere poenas egestate cogantur.

#### d) Disciplina sodalitatum.

Postquam Pontifex illos homines laudaverit, qui ad sublevandos artifices variis modis secundum temporum et circumstantiarum indigentias concurrunt, indigitat *disciplinam*, qualis in istis sodalitatibus vigeat oportet.

„Qualem illam, ait prudenter Leo XIII., esse in partibus suis singulis esse oporteat, *decerni certis definitisque regulis non censemus posse*, cum id potius statuendum sit ex ingenio cuiusque gentis, ex periclitatione et usu, ex genere atque efficientia operum, ex amplitudine commerciorum, aliisque rerum ac temporum adiunctis, quae sunt prudenter ponderanda.“

„Ad summam rem quod spectat, *haec tamquam lex generalis ac perpetua sancitur*, ita constitui itaque gubernari opificum collegia oportere, ut instrumenta suppeditent, aptissima maximeque expedita ad id, quod est propositum, quodque in eo consistit, ut singuli in societate incrementum bonorum corporis, animi, rei familiaris, quod potest, assequantur.“

„Perspicuum vero est, ad *perfectionem pietatis et morum tamquam ad causam praecipuam spectari oportere*: eaque



potissimum causa disciplinam socialem penitus dirigendam. Secus enim degenerarent in aliam formam, eique generi collegiorum, in quibus nulla ratio religionis haberi solet, haud sane multum praestarent. Ceterum quid prosit opifici rerum copiam societate quaesiisse, si ob inopiam cibi sui de salute periclitetur anima? . . . „Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.“<sup>1)</sup>

„Sumptis igitur a Deo principiis *plurimum educationi religiosae tribuatur loci*, ut sua singuli erga Deum officia cognoscant . . . , curaque praecipua adversus opinionum errores variasque corruptelas muniantur. Ad Dei cultum studiumque pietatis excitetur opifex, nominatim ad religionem dierum festorum colendam. Vereri . . . ecclesiam condiscat, itemque eius obtemperare praeceptis et sacramenta frequentare, quae sunt ad expiandas animi labes sanctitatemque comparandam instrumenta divina.“

„*Socialium legum posito in religione fundamento* primum est iter ad stabiliendas sociorum rationes mutuas, ut convictus quietus ac res florentes consequantur. Munia . . . dispartienda sunt ad communes rationes accomodate . . . ; officia partiri intelligenter perspicueque definiri plurimum interest . . . , ne cui fiat iniuria; commune administretur integre . . . , iura officiaque dominorum cum iuribus officiisque opificum apte conveniant. Si *quis ex alterutro ordine violatum se ulla re putarit . . . adsint eiusdem corporis viri prudentes, quorum arbitrio litem dirimi leges ipsae sociales iubeant*. Illud quoque magnopere providendum, ut *copia operis nullo tempore deficiat opificem, utque vectigal supeditet*, unde necessitate singulorum subveniatur nec solum in subitis ac fortuitis industriae casibus, sed etiam cum valetudo, aut senectus, aut infortunium quemquam oppressit.“

„His legibus, si modo voluntarie accipiantur, satis erit tenuiorum commodis ac saluti consultum: consociationes autem catholicorum non minimum ad prosperitatem momenti in civitate sint habiturae.“

<sup>1)</sup> Matth. 6, 33.



His Papa institutionem suam concludit, atque *semel adhuc omnes ordines, imprimis sacerdotes et episcopos adhortatur*, ut „omni qua possunt ope pro salute populorum contendant, potissimumque studeant et tueri in se et excitare in aliis, summis iuxta atque infimis, omnium dominam et reginam virtutum: *caritatem*. Optata quippe salus expectanda praecipue est ex magna effusione caritatis: christianae caritatis intelligimus, quae totius evangelii compendiaria lex est, quaeque semetipsam pro aliorum commodis semper devovere parata contra saeculi insolentiam atque immoderatum amorem sui certissima est homini antidotus: cuius virtutis partes ac lineamenta divina Paulus Apostolus iis verbis expressit: „Caritas patiens est, benigna est; non quaerit, quae sua sunt, omnia suffert, omnia sustinet.“<sup>1)</sup>

## Cap. IV.

### De christiana democratia.<sup>2)</sup>

Nomen „*democratia christiana*, ait Summus Pontifex, apud bonos plures offensionem habet, quippe cui ambiguum quiddam et periculosum adhaerescere existiment.“

„*Ab hac enim appellatione metuunt plus una de causa: videlicet ne quo oblecto studio popularis civitas foveatur vel ceteris formis politicis praeoptetur; ne ad plebis commoda, ceteris tamquam semotis reipublicae ordinibus, christianae religionis virtus coangustari videatur; ne denique sub fucato nomine quoddam lateat propositum legitimi cuiusvis imperii: civilis, sacri, detrectandi.*“

Qua de re Summus Pontifex controversiae finem imponere vult explicando *tendentiam democratiae christianae nec non timores repellendo*.

#### 1. *Democratia christiana differt a democratia sociali.*

„*Quid democratia socialis velit, quid velle christianam oporteat, incertum plane esse nequit.*“

1) Cor. 13, 4.—7. — 2) Encycl. Graves de communi.



„*Altera enim . . . usque adeo pravitatis a multis compellitur, nihil ut quidquam supra humana reputet, corporis bona atque externa consecetur, in eisque captandis fruedisque hominis beatitatem constituat. Hinc imperium penes plebem in civitate velint esse, ut, sublatis ordinum gradibus aequatisque civibus ad bonorum etiam inter eos aequalitatem sit gressus: hinc ius domini delendum et quidquid fortunarum est singulis, ipsaque instrumenta vitae, communia habenda.*“

„*At vero democratia christiana, eo nimirum quod christiana dicitur, suo veluti fundamento positae a divina fide principiis niti debet, infirmorum sic prospiciens utilitatibus, ut animos ad sempiterna factos convenienter perficiat. Proinde nihil sit illi iustitia sanctius, ius potiundi possidendi iubeat esse integrum; dispares tueatur ordines sane proprios bene constitutae civitatis; eam demum humano convictui velit formam atque indolem esse, qualem Deus auctor indidit. . . Democratia ergo socialis et christiana inter se differunt tantum, quantum socialismi secta et professio christianae legis.*“

## 2. *Democratia christiana regimen popolare prae alio non propugnat.*

„*Nefas autem sit, continuat Papa, christianae democratiae appellationem ad politica detorqueri. Quamquam enim democratia ex ipsa notatione nominis usuque philosophorum regimen indicat popolare; attamen in re praesenti sic usurpanda est, ut omni politica notione detracta aliud nihil significatum praeferat, nisi hanc ipsam beneficam in populum actionem christianam.*“

„*Nam naturae et evangelii praecepta, quia suo iure humanos casus excedunt, ea necesse est ex nullo civilis regiminis modo pendere, sed convenire cum quovis posse, modo ne honestati et iustitiae repugnet. Sunt ipsa igitur manentque a partium studiis variisque eventibus plane aliena, ut in qualibet demum reipublicae constitutione possint cives ac debeant iisdem stare praeceptis, quibus iubentur Deum super omnia, proximos sicut se diligere.*“



„Haec perpetua ecclesiae disciplina fuit, hac usi romani Pontifices cum civitatibus egere semper, quocumque illae administrationis genere tuerentur. Quae cum sint ita, catholicorum mens atque actio, quae bono proletariorum promovendo studet, eo profecto spectare nequaquam potest, ut aliud prae alio regimen civitatis admet atque invehat.“

### 3. *Christiana democratia superiores classes non respuit.*

„Non dissimili modo a democratia christiana removendum est alterum illud offensionis caput: quod *nimirum in commodis inferiorum ordinum curas sic collocet, ut superiores praeterire videatur*, quorum tamen non minor est usus ad conservationem, perfectionemque civitatis.“

„Praecavet id christiana lex. Haec ad omnes omnino cuiusvis gradus homines patet complectendos, utpote unius eiusdemque familiae, eodem benignissimo edito Patre et redempto Servatore, eademque in haereditatem vocatos aeternam . . .“

„Quare propter nativam plebis cum ordinibus ceteris coniunctionem, eamque arctiorem ex christiana fraternitate, in eosdem certe influit quantacunque plebi adiutandae diligentia impenditur; eo vel magis, quia ad exitum rei secundum plane decet ac necesse est ipsos in partem operae advocari.“

### 4. *Democratia christiana obedientiam non abiicit.*

„*Longe pariter absit, ut appellatione democratiae christianae propositum subdatur omnis abiiciendae obedientiae, eosque aversandi, qui legitime praesunt.*“

„Revereri eos, qui pro suo quisque gradu in civitate praesunt, eisdem iuste iubentibus obtemperare, lex aequae naturalis et christiana praecipit. Quod quidem ut homine eodemque christiano sit dignum, ex animo et officio praestari oportet, scilicet propter conscientiam, quemadmodum



ipse monet Apostolus: „Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.“<sup>1)</sup>

„Abhorret autem a professione christianae vitae, ut quis nollit iis subesse et parere, qui cum potestate in ecclesia antecedunt: episcopis inprimis, quos, integra Pontificis romani in universos auctoritate, „Spiritus Sanctus posuit regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.“<sup>2)</sup> Jam qui secus sentiat aut faciat, is enimvero gravissimum eiusdem Apostoli praeceptum oblitus convincitur: „Obedite praepositis vestris et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.“<sup>3)</sup>

„Quae dicta permagni interest, ut fideles universi alte sibi defigant in animis atque in omni vitae consuetudine perficere studeant; eademque sacrorum ministri diligentissime reputantes, non hortatione solum, sed maxime exemplo, ceteris persuadere ne intermittant.“

### 5. *Finis imponendus dissensionis.*

„Speramus, concludit Leo XIII., speramus fore ut quaevis de christianae democratiae nomine dissensio, omnisque de re eo nomine significata suspicio periculi iam deponatur. Et iure quidem speramus. Etenim, iis missis quorundam sentiis de huiusmodi democratiae christianae vi ac virtute, quae immoderatione aliqua vel errore non carent, certe nemo unus studium illud reprehenderit, quod secundum naturalem, divinamque legem eo unice pertineant, ut qui vitam manu et arte sustentant, tolerabiliorem in statum adducantur, habeantque sensim, quo sibi ipsi prospiciant; domi atque palam officia virtutum et religionis libere expleant; sentiant se non animantia sed homines, non ethnicos sed christianos esse; atque adeo ad unum illud necessarium, ad ultimum bonum, cui nati sumus, et facilius et studiosius nitantur. Jamvero hic finis, hoc opus eorum, qui plebem christiano animo velint et opportune relevatam et a peste incolumem socialismi.,

1) Rom. 13. 1. — 2) Act. 20, 28. — 3) Hebr. 13, 17.



# **Index rerum.**

Introductio . . . . .	3
<i>De veritate christiana et erroribus oppositis</i> . . . . .	5

## **Titulus I.**

De Deo uno . . . . .	5
----------------------	---

### **Cap. I.**

<i>De existentia Dei</i> . . . . .	5
§. 1. probatio naturalis . . . . .	6
§. 2. probatio scientifica . . . . .	7

### **Cap. II.**

<i>De essentia Dei</i> . . . . .	10
§. 1. de cognitione essentiae divinae . . . . .	10
§. 2. de essentia Dei eiusque attributis . . . . .	12
§. 3. de pantheismo . . . . .	13

### **Cap. III.**

<i>De Deo creatore</i> . . . . .	14
§. 1. de origine mundi . . . . .	15
§. 2. de conformatione mundi . . . . .	16
§. 3. de ortu rerum organicarum . . . . .	17
§. 4. de origine hominis . . . . .	19
1. anima hominis . . . . .	19
2. corpus hominis . . . . .	23
3. quot homines ab initio . . . . .	23
§. 5. conclusio . . . . .	24



**Cap. IV.**

<i>De dominio Dei</i> . . . . .	24
§. 1. de dominio proprietatis . . . . .	25
1. titulus ratione creationis . . . . .	25
2. titulus ratione conservationis . . . . .	25
3. titulus ratione finis . . . . .	26
4. nonnulla consecraria . . . . .	26
§. 2. de dominio iurisdictionis . . . . .	27
§. 3. de iure Dei ad cultum religiosum . . . . .	28
1. vera religio non est nisi una . . . . .	28
2. vera religio necessaria est pro singulis . . . . .	29
3. vera religio necessaria est pro societate civili . . . . .	30

**Titulus II.**

<i>De revelatione</i> . . . . .	32
---------------------------------	----

**Cap. I.**

<i>De revelatione in genere</i> . . . . .	32
§. 1. de necessitate revelationis . . . . .	32
§. 2. de cognoscibilitate revelationis . . . . .	34
§. 3. de obligatione revelationis . . . . .	36

**Cap. II.**

<i>De revelatione christiana</i> . . . . .	38
§. 1. de Christo Messia . . . . .	38
§. 2. de revelatione Christi . . . . .	41
1. de notis intrinsecis . . . . .	41
2. de persona Christi . . . . .	42
3. de notis extrinsecis . . . . .	43
a) miracula proprie dicta . . . . .	44
b) prophetiae . . . . .	45
c) miracula in ordine morali . . . . .	45
§. 3. de muneribus Christi . . . . .	46
1. de munere sacerdotali . . . . .	46
2. de munere prophetico . . . . .	49
3. de munere regio . . . . .	50
§. 4. de dominio Christi . . . . .	52



## Titulus III.

De vera ecclesia Christi . . . . .	54
------------------------------------	----

**Cap. I.**

<i>De institutione et fine ecclesiae</i> . . . . .	55
--	----

§. 1. de institutione ecclesiae . . . . .	55
---	----

§. 2. de fine ecclesiae . . . . .	56
-----------------------------------	----

**Cap. II.**

<i>De natura ecclesiae</i> . . . . .	58
--------------------------------------	----

§. 1. de distinctione inter clericos et laicos . . . . .	58
--	----

§. 2. de hierarchia ordinis . . . . .	59
---------------------------------------	----

§. 3. de hierarchia iurisdictionis . . . . .	61
--	----

§. 4. de primatu iurisdictionis . . . . .	63
---	----

1. effatum Christi de petra ecclesiae . . . . .	64
---	----

2. effatum Christi de clavibus . . . . .	66
--	----

3. effatum Christi de ovibus pascendis . . . . .	66
--	----

4. alia testimonia . . . . .	68
------------------------------	----

§. 5. conclusio . . . . .	69
---------------------------	----

**Cap. III.**

<i>De potestate ecclesiastica</i> . . . . .	70
---	----

§. 1. de magisterio ecclesiae . . . . .	71
---	----

1. de institutione magisterii . . . . .	71
---	----

2. de fine magisterii . . . . .	72
---------------------------------	----

3. de obiecto magisterii . . . . .	74
------------------------------------	----

§. 2. de imperio ecclesiae . . . . .	76
--------------------------------------	----

1. de ecclesia ut societate perfecta . . . . .	77
--	----

2. de potestate legislativa . . . . .	80
---------------------------------------	----

3. de potestate iudiciaria . . . . .	81
--------------------------------------	----

4. de potestate coactiva . . . . .	82
------------------------------------	----

§. 3. conclusio . . . . .	83
---------------------------	----

**Cap. IV.**

<i>De indefectibilitate ecclesiae</i> . . . . .	83
---	----



**Cap. V.**

<i>De infallibilitate ecclesiae</i> . . . . .	86
§. 1. de dono infallibilitatis . . . . .	87
§. 2. de obiecto infallibilitatis . . . . .	89

**Cap. VI.**

<i>De romano Pontifice</i> . . . . .	93
§. 1. de perpetuitate primatus Petri . . . . .	94
§. 2. de romano pontifice ut successore Petri . . . . .	94
§. 3. de infallibilitate Romani pontificis . . . . .	96
§. 4. de congregationibus pontificiis . . . . .	97

**Cap. VII.**

<i>De unitate ecclesiae</i> . . . . .	99
§. 1. de unitate fidei . . . . .	99
1. de fundamento unitatis . . . . .	100
2. de forma unitatis . . . . .	100
§. 2. de unitate regiminis . . . . .	105

**Cap. VIII.**

<i>De ecclesiâ ut fonte bonorum pro societate</i> . . . . .	110
---	-----

**Titulus IV.**

<i>De relatione inter scientiam et fidem</i> . . . . .	115
--	-----

**Cap. I.**

<i>De relatione philosophiae ad fidem</i> . . . . .	115
1. de causa malorum nostri temporis . . . . .	116
2. de remedio malorum . . . . .	117
3. de utilitate philosophiae . . . . .	117
a) philosophia sternit iter ad fidem . . . . .	118
b) philosophia varias veritates fidei demonstrat . . . . .	119
c) philosophia veritates fidei tuetur . . . . .	120
d) cautela in adhibenda philosophia . . . . .	121
e) obiectio . . . . .	121



**Cap. II.**

<i>De historia relationis philosophiae ad fidem</i> . . . . .	122
1. Philosophi gentiles . . . . .	122
2. Ss. Patres et Doctores ecclesiae . . . . .	123
3. Scholastici . . . . .	124
4. S. Thomas Aquinas . . . . .	125
5. nova philosophia . . . . .	126
6. restauratio philosophiae . . . . .	127

**Titulus V.**

De statu civili eiusque relatione ad ecclesiam	128
--	-----

**Cap. I.**

<i>De origine potestatis civilis</i> . . . . .	128
§. 1. Proponitur vera doctrina . . . . .	129
1. probatur e Scripturis . . . . .	129
2. probatur testimonio ss. Patrum . . . . .	130
3. probatur ipsa ratione . . . . .	131
§. 2. Proponitur utilitas huius doctrinae . . . . .	132
1. obedientia facilis . . . . .	132
2. an resistentia licita . . . . .	133
3. ratio reddenda de usu potestatis . . . . .	133
4. seditionum causa tollitur . . . . .	134
§. 3. Proponitur historia huius quaestionis . . . . .	134
1. tempora imperii romani . . . . .	134
2. tempora principum christianorum . . . . .	135
3. tempora recentiora . . . . .	136
4. remedia contra errores . . . . .	137
5. merita romanorum Pontificum . . . . .	137

**Cap. II.**

<i>De relatione ecclesiam inter et civitatem</i> . . . . .	138
§. 1. Forma civitatis christianae . . . . .	138
1. principatus in societate civili . . . . .	138
2. religio in civitate christiana . . . . .	140
3. ecclesia in civitate christiana . . . . .	141
4. relatio inter ecclesiam et civitatem . . . . .	142
5. fructus ordinatae relationis . . . . .	144



§. 2. Oppugnatio civitatis christianae . . . . .	145
1. bona vigente civitate christianae . . . . .	145
2. perniciosa rerum novarum studia . . . . .	146
3. ecclesia depressa . . . . .	147
4. putridi fructus errorum . . . . .	148
5. doctrina romanorum pontificum . . . . .	149

### Cap. III.

<i>De officiis civium catholicorum</i> . . . . .	151
§. 1. Cognitio et defensio fidei . . . . .	151
1. amor erga ecclesiam et patriam . . . . .	152
2. obediendum magis Deo, quam hominibus . . . . .	152
3. studium christianae doctrinae . . . . .	153
4. defensio et professio fidei . . . . .	154
§. 2. Concordia catholicorum . . . . .	156
1. concordia sententiarum . . . . .	156
2. obedientia ecclesiae exhibenda . . . . .	157
3. norma catholicorum in actione publica . . . . .	158
4. duo vitia fugienda . . . . .	161
5. prudentia politica . . . . .	162

### Titulus VI.

<i>De libertate et liberalismo</i> . . . . .	163
--	-----

#### Cap. I.

<i>De libertate</i> . . . . .	163
§. 1. de libertate singulorum . . . . .	163
1. libertas naturalis eiusque fundamentum . . . . .	164
2. libertas moralis . . . . .	164
3. praesidia libertatis . . . . .	165
§. 2. de libertate societatis civilis . . . . .	167
§. 3. Ecclesia mater libertatis . . . . .	169

#### Cap. II.

<i>De liberalismo</i> . . . . .	170
§. 1. de liberalismo in genere . . . . .	170
1. liberales strictiores . . . . .	171
2. liberales mitiores . . . . .	172



§. 2. de modernis libertatibus . . . . .	174
1. libertas cultus . . . . .	174
2. libertas sermonis et typi . . . . .	176
3. libertas docendi . . . . .	177
4. libertas conscientiae . . . . .	179
5. tollerantia . . . . .	179
§. 3. conclusio . . . . .	181

## Titulus VII.

De quaestione sociali . . . . .	183
---------------------------------	-----

### Cap. I.

<i>De indole huius quaestionis et de factoribus vocatis ad eius solutionem</i> . . . . .	183
--	-----

§. 1. Indoles quaestionis socialis . . . . .	183
1. Vita quotidiana . . . . .	184
2. Natura caritatis . . . . .	184
§. 2. Factores in quaestione sociali solvenda . . . . .	186
1. Laici . . . . .	186
2. Clerus . . . . .	187

### Cap. II.

<i>De socialismo</i> . . . . .	188
--------------------------------	-----

§. 1. de erroribus socialistarum . . . . .	189
1. Errores recensentur . . . . .	189
2. Origo horum errorum . . . . .	190
3. Diffidentia erga ecclesiam . . . . .	191
§. 2. Errores refutantur . . . . .	191
1. Aequalitas hominum . . . . .	192
2. Societas domestica . . . . .	193
3. Jus proprietatis . . . . .	194

### Cap. III.

<i>De misera conditione opificum et remediis</i> . . . . .	195
--	-----

§. 1. Socialistae contra privatam possessionem . . . . .	196
1. Doctrina socialistarum obest ipsis opificibus . . . . .	197
2. Doctrina socialistarum est iniusta . . . . .	197



3.	Doctrina socialistarum pervertit officia reipublicae . . . . .	200
4	Doctrinam socialistarum consequitur rerum omnium perturbatio . . . . .	201
§. 2.	Remedia apta ad sanationem . . . . .	201
1.	Auxilium ab ecclesia . . . . .	202
a)	Ecclesia homines instruit . . . . .	202
α.	Ferenda est conditionis inaequalitas . . . . .	202
β.	Utraque classis hominum altera alterius indiget . . . . .	203
γ.	Vis religionis ad componendam litem . . . . .	203
	Officia proletarii . . . . .	204
	Officia domini . . . . .	204
δ.	Ecclesia utramque classem amicitia coniungit . . . . .	205
	Quid locupletes sentire oporteat? . . . . .	205
	Quid proletarios sentire oporteat? . . . . .	206
b)	Ecclesia populos educat . . . . .	207
c)	Ecclesia vitam terrenam non negligit . . . . .	208
2.	Auxilium a republica . . . . .	209
a)	Respublica debet conferre opem . . . . .	209
b)	De iis, quorum specialis cura reipublicae incumbit . . . . .	212
α.	Quoad privatas possessiones . . . . .	212
β.	Quoad cessationem ex composito ab opera . . . . .	213
γ.	Quoad requiem in diebus festis . . . . .	213
δ.	Quoad durationem quotidiani operis . . . . .	214
ε.	Quoad labores puerorum et feminarum . . . . .	214
ζ.	Quoad salarium . . . . .	215
η.	Utilitas inde proveniens . . . . .	217



3. Quid in hac re possint domini et opifices	217
a) Sodalitia ad suppetias mutuo ferendas	217
b) Sodalitia artificum . . . . .	217
c) Sodalitia iure naturae coalescunt .	218
d) Disciplina sodalitatum . . . . .	219

**Cap. IV.**

<i>De christiana democratia</i> . . . . .	221
1. Democratia christiana differt a democ- cratia sociali . . . . .	221
2. Democratia christiana regimen popolare prae alio non propugnat . . . . .	222
3. Democratia christiana superiores classes non respuit . . . . .	223
4. Democratia christiana obedientiam non abiicit . . . . .	223
5. Finis imponendus dissensionis . . . . .	224









# Index alphabeticus rerum.

(Numeri simplices significant paginas Synodi dioecesanæ Labacensis, numero apposita littera *a* vero paginas Appendicis ad synodum.)

- Abbatia** Cisterciensium immediate Ordinario subiecta 203.  
**Abortus** peccatum reservatum 156.  
**Absentia** cooperatoris, parochi, *v. Residentia*.  
**Absolutio** a casibus episcopo reservatis 204.  
**Abusus** dierum festivorum 46; — cura decani 201.  
**Actio** publica catholicorum 158 sq. a; — socialis 170. *v. Quæstio*.  
**Administratio** bonorum eccles. visitatur per decanum 207; — per episcopum 214.  
**Administrator** ad tempus 176.  
**Admonitio** sacerdotum per decanos 187.  
**Adolescentes** eorum educatio 5 sqq.; — cura parentum pro iis 31 sq.; — quoad confessionem 155; — quoad sodalitates et associationes 27 sqq.; *v. Associatio*; — nupturientes 33.  
**Adoratio** perpetua *v. Sodalitas*; — nocturna 56; — communis fidelium *ibid.*  
**Aedificia** ecclesiastica 214.  
**Aedituus** in visitatione canonica 214.  
**Aequalitas** hominum 192 a.  
**Aetas** primo confitentium 16; — primo communicantium 18; — confirmandorum 215.  
**Agricolarum** cura sacerdotis 90; *v. Coetus agricularum, Associatio*; — associationes 171.  
**Alcoholum** 208.  
**Alumni** vel adiutores mercatorum (*komi*) 97.  
**America** *v. Emigrantes*.  
**Amicitia** ecclesiae ad proletarios et dominos 205 a.  
**Amor** erga ecclesiam et patriam 152 a.  
**Amores** periculosi 24, 33, 47.  
**Anatomia** 17 a.  
**Ancillae** sacerdotum 141, 214.  
**„Angelus Domini“** 44.  
**Anima** hominis 19 a; — eius origo 21 a.  
**Anselmus** 8 a, 124 a.  
**Anthropogoniae** 23 a.  
**Apologetae** 123 a.  
**Apostolatus** orationis 58 sqq.; — finis et organizatio in genere 58 sq.; — explicatio trium graduum 61; — requisita a sodalibus 62; indulgentiae 64.  
**Approbatio** decretorum synodaliū 221; — ordinum religiosorum 91 a.



- Archaeologica** studia 24 a.
- Archidiaconatus** 208; — Laba-  
censis 203.
- Archidiaconus** 84, 142; — eius  
officia 209.
- Archivum** 214; — decanale 204.
- Argumenta** de existentia Dei  
8 sq. a.
- Artes liberales** 76 a; — mecha-  
nicæ *ibid.*
- Ascetica** educatio clericorum  
in seminario maiori 134.
- Associatio, associationes** a  
sacra Familia 37 *v. Familia*;  
— ab Apostolatu orationis 58.  
*v. Apostolatus*; — pro iuveni-  
bus excolendis (*izobraževalno*  
*društvo*) 27, 28, 208 *v. Ado-  
lescentes, Iuvenes*; — pro di-  
scipulis et adiutoribus opificum  
(*rokodelska društva*) 30;  
— oeconomicæ (*zadruga, kmetijska društva*) 91; —  
earum unio (*Zveza*) 91; di-  
rectio centralis 171; — arti-  
ficum (*društva obrtnikov*) 171,  
217 a; 218 a; — operariorum  
(*delavska društva*) *ibid.*; —  
puellarum, quæ in fabricis ope-  
rantur 98; feminarum ad  
familias meliores pertinentes  
98; — (*politična društva*) *v.*  
*Societas*; — (*tiskovna društva*)  
*v. Societas*; (*vzajemno-pod-  
porna društva*) 91 *v. Sodalitas*:  
— (*posojilnice*) *v. Cas-  
sae, Raiffeisen, Čebelica*; —  
s Marthæ (*društvo sv. Marte*)  
95; — (*poselska društva*) 95; —  
(*delavska stavbenska društva*)  
96. — (*Rafaelovo društvo*)  
pro emigrantibus 100. — (*dru-  
štvo sv. Barbare*) pro emigran-  
tibus in Germaniam 101. —
- (*bratovščine*) *v. Sodalitas*; —  
(*Marijine družbe*) *v. Congre-  
gatio*; — (*tretji red sv. Fran-  
čiška*) *v. Ordo tertius*; —  
(ss. Cordis Jesu pro sacerdo-  
tibus) *v. Sodalitas.*
- Attributa Dei** 12 a.
- Auctoritati ecclesiae** parendum  
114 a.
- Augustinus** 123 a.
- Auxilium ecclesiae** in dirimenda  
quaestione sociali 202 a; —  
reipublicæ 209 sqq. a.
- Aversio** ab ecclesia 25.
- Banna**, *v. Proclamationes, Di-  
spensatio.*
- Basilius** 124 a.
- Belletristici** scriptores 103.
- Beneficia** curata quomodo con-  
ferantur 176. — vacantia *ibid.*
- Benedictiones** concessæ de-  
canis 205.
- Bibliotheca decanalis** 150; —  
parochialis 104; — sacerdotis  
150. *v. Lectoria.*
- Boëthius** 124 a.
- Bona** vigente civitate christiana  
144 sqq. a.
- Breviarii** recitatio 137.
- Caesaries** ficta 147.
- Campanæ** pulsantur decano  
in visitatione 206; — in de-  
cessione 205.
- Candidatura** sacerdotis ad mu-  
nus deputati 167.
- Canonica** obedientia, *v. Obe-  
dientia*; — visitatio *v. Visitatio*  
*canonica.*
- Canonizatio** sanctorum 92 a.
- Caritas** 184 a.
- Cassæ** parsimoniales 31; cf.  
*Raiffeisen.*



- Castitas** sacerdotum 140 sq.  
**Casus** episcopo reservati 156.  
**Catecheta, Catechista** 12, 13, 159, 170.  
**Catechismus** maior, eius studium in seminario maiori 135; — materiae distributio pro singulis classibus scholae popularis 159; — approbatus ab omnibus episcopis Austriae 164; — diaria in quibus lectiones notentur 165.  
**Cathedra** philosophiae thomisticae in seminario maiori 135.  
**Cauponae** 46 sq., 143.  
**Causa** socialis, politica 113a; — malorum nostri temporis 116a.  
**Cautelae** in adhibenda philosophia 121a.  
**Cessatio ab opere** (*Strike*) 213a.  
**Character** Christi 42 sq.a.  
**Christi** revelatio 41 sqq.a.  
**Cinctorium** nigrum loco talaris 147.  
**Civilis** potestas; *v. Potestas*.  
**Civis** catholicus 151 a.  
**Civitas** christiana 138, 145 sq. a. — eius oppugnatio 145 sq. a. — officia civium christianorum 151 sq. a.  
**Civitatem** inter et ecclesiam relatio 138 sqq. a, 142 sqq. a.  
**Clandestina** sponsalia 34.  
**Claves** regni coelorum 66 a.  
**Clerici, Clerus** eius educatio 127 sqq.; — virtutes 140 sqq.; — officia 152 sqq.; — residentia 187; — conferentiae 188 sqq.; distinctio inter clericos et laicos 58a. — habitus 146; — quoad cauponas 143; — quoad spectacula, venerationes, ludos, convivia nuptialia 144; — negotia saecularia 145; — cohabitatio cum feminis 141; — quoad sobrietatem 142; — castitatem 140; — officium divinum et devotionem 137; — confessionem ultra quatuor hebdomades non differant 139; — obedientia et reverentia 150; — conservatio cum clericis, praecipuis conterminis 199; — studium litterarum 148; quoad edendos et vulgandos libros atque varia folia 103.  
**Coactiva** potestas ecclesiae 82 a.  
**Coemeterium** eiusque visitatio per decanum 206; — per episcopum 214.  
**Coetus** agricularum 92; — (*društva*) *v. Associatio*.  
**Cognitio** essentiae divinae 10 a; — ovium 185; — et defensio fidei ex parte civis catholici 151 sq. a.  
**Cognoscibilitas** revelationis 34 a.  
**Cohabitatio** cum mulieribus 141.  
**Collare** 147.  
**Collatio** munerum ecclesiasticorum 171 sq.  
**Collectiones** pro aedificatione et sustentatione erigendi seminarii minoris 133.  
**Commessiones** 143.  
**Communio** prima 17 sqq.; — fidelium generatim quoties suadenda 52; — menstrua 52; — hebdomadaria 52; — frequens scil. saepius in hebdomade 53; — infantium ante 13. vel 14. aetatis annum 53.  
**Concio** 156, 170.



- Concionator** 156 sq.; — de cultu Ss. Cordis saepius praedicit 57.
- Conclave** in concursu parochiali 179, 180.
- Concordia** catholic. 156 sqq. a; — sententiarum 156 sq. a.
- Concursus** publicus pro obtinendis beneficiis curatis 176; — ad obtinendum munus catecheticum 183.
- Conditio** opificum 195 sqq. a.
- Conditionis** inaequalitas 202 a.
- Conferentiae** variae sacerdotum 188; — decanorum *ibid.*; — pastorales 189; — sodalitates ss. Cordis Jesu 193, 197, 208.
- Confessarius** 153 sqq.
- Confessio** prima 15; — quando suscipienda 16; — qualis praeparatio *ibid.*; — modus externus confessionis 17; — quoties per annum a parvulis suscipiatur *ibid.*; — quoties a sacerdotibus 139; — generalis sponsorum 35.
- Confirmatio**, praeparatio ad eam 215 sq.; — patrini *ibid.*; — liber confirmatorum 219.
- Conformatio** mundi 16 a.
- Congregationes** Marianae 28; — a decano invigilandae 208; — pontificiae 97 sq. a; — (*društva*) v. *Associatio*.
- Congressus** catholici 126.
- Coniunctio** clericorum et laicorum cum episcopo 163 a.
- Coniuratio** contra suam Majestatem peccatum reservatum 156.
- Conservatio** mundi 25 a.
- Consociationes** 187 a. v. *Associations*.
- Conversatio** sacerdotum, praepriis conterminorum 199.
- Conversionis** systema 22 a.
- Convivia** 143. — nuptialia 144.
- Cooperatio** dispositiva virium materialium ad progignenda prima viventia 18 a.
- Cooperator** 172; — eius cum parochio relatio 173 sq.
- Cor Jesu** Ss. 56; — cultus in nostra dioecesi 57; — solemnitas triduana tempore festi principalis 57; — qualibet prima dominica mensis 58; — a sacerdotibus colendum 139; — concionatores saepius de hoc themate praedicti 57; — sodalitas v. *Sodalitas* ss. Cordis Jesu pro sacerdotibus.
- Corpus** humanum 23 a.
- Creatio** mundi 25 a.
- Creator** Deus 14 a.
- Cultus** ss. Cordis Jesu 56, v. *Cor Jesu*; — ss. Eucharistiae 54, v. *Eucharistia*; — B. Virginis Mariae 65, v. *Maria Virgo*; — Dei 28 a, 29 a.
- Cura** parentum erga filios filiasque schola absoluta 31; — pro emigrantibus in Americam 99 sq.; — pro operariis in Germania 101; — sacerdotis circa libros, diaria aliaque scripta damnata vel damnanda 113. — de cura sacerdotis pro variis statibus, agricolis, famulis, operariis, reliquis 90.
- Curati** animarum in visitatione canonica episcopi 213.
- „**Čebelice**“ 31.
- Damnandae** propositiones 90 a.
- Debitum** coniugale, restituendi



- ius petendi competens decanis 204.
- Decanus** inquit in sodalitates 84; — vigilat in sacerdotes, ut saltem tertio quovis anno ad exercitia spiritualia se conferant 139; — castitati sacerdotali invigilare tenetur 142; — quoad residentiam cooperatorum et parochorum 187; — eius iura et officia 201 sqq.; — ordo visitationis 205 sq.; — obiectum visitationis 207.
- Decreta** contra saltationes occasione patrocinatorum 48 sq.; — visitationis peractae 219.
- Defensio** fidei 151 sq. a; — et professio fidei 154 sq. a.
- Delectationes** saeculares clerico prohibita 144.
- Democratia** christiana 221 a; — differt a democratia sociali 221 a; — regimen populare prae alio non propugnat 222 a; — superiores classes non respuit 223 a; — obedientiam non abiicit 223 a.
- Denuntiatio** sacerdotum per decanum 187.
- Deputati**, eorumque electio 123.
- Descendentiae**, theoria 19 a., 23 a.
- Deus** unus 5 a; — existentia 5 a; — essentia 10 a; — creator 14 a; — eius dominium 24 a.
- Devotio** erga Mariam mense Maio 66 sq.; — mense Octobri 67 sq.; — sacerdotum erga Ss. sacramentum 139; — erga Ss. Cor Jesu et B. Virginem Mariam, reginam sacerdotum 139.
- Diaconi** 59 a.
- Diaria** quatenus proscripita habeantur 112; — sacerdotis procedendi modus circa prava 113 sq.; — publica a sacerdotibus non frivole aut inutiliter legenda 138; — in quibus singulae lectiones catechismi notentur 165.
- Dies** festivi *v. Sanctificatio* dierum festivorum, *Abusus, Caupona, Saltationes*.
- Differentia** statuum 88.
- Diffidentia** erga ecclesiam 191 a.
- Directio** centralis pro organizatione operariorum, opificum, agriculturalum, iuvenum 171.
- Disciplina** generalis in ecclesia 91 a; — sodalitatum 219 a.
- Dispensatio** a repetitione examinis concursalis 180; — a bannis in periculo mortis 205; — ab una promulgatione nuptiarum per decanum 205.
- Dispositiva** cooperatio virium materialium ad progignenda prima viventia 18 a.
- Distinctio** inter clericos et laicos 58 sq. a.
- Distributio** materiae catechismi *v. Catechismus, Diaria*; — accurate observanda 164.
- Diversitas** rerum organicarum 18 a.
- Diversorium** *v. Caupona*.
- Docendi** libertas 177 a
- Doctores** ecclesiae 123 a.
- Doctrina** rom. pontificum de relatione inter eccl. et civitatem 149 a; — socialistarum obest opificibus 197 a; — doctrinae christianae studium 153 sq. a.
- Dominium** Dei 24 a; — proprietatis 25 a; — iurisdictionis 27 sq. a; — Christi 52 sq. a.



- Dominus** 204a, 217a; v. *Locupletes*.
- Domus** christianae familiae 45; — parochialis 206, 218.
- Donum** infallibilitatis ecclesiae 87a.
- Duo** vitia fugienda accessuris ad negotia publica 161 sq. a.
- Duratio** quotidiani operis 214 a.
- Ecclesia** Christi 54 sq. a.; — eius institutio 55 sq. a.; — natura 58 a.; — magisterium 71 a.; — imperium 76 sq. a.; — societas perfecta 77 a.; — fons bonorum pro societate 110 a.; — in civitate christiana 141 sq. a.; depressa 147 sq. a.; — mater libertatis 169. sq. a.; — concurrit ad sublevandum opificibus 202 sq. a.; — populos educat 207 a.; — vitam terrenam non negligit 208 a.; — eius potestas v. *Potestas*; — indefectibilitas 83 sq. a.; — eius et civitatis relatio 138 sq. a., 142 sq. a.; — infallibilitas 86 sq. a.; — unitas 99 sq. a.
- Ecclesiae** paroch et filiales 214.
- Educatio** iuventutis 5; corporis non negligenda *ibid.*; — voluntatis 6; — domestica 9; — tempore scholae continuanda 22; — in schola 12; schola absoluta 23, 208; — clericorum 127; ascetica in seminario maiori 134 sq.
- Effatum** Christi de petra ecclesiae 64 sq. a.; de clavibus 66 a.; — de ovibus pascendis 66 sq. a.
- Effectus** Dei naturales: macrocosmus et microcosmus 8a.
- Electio** deputatorum 123 sq.
- Emigrantes**, qua de causa terras alienas petunt 98; — remedia contra emigrationem generalia 99; — cura pro emigrantibus in Americam 99.
- Emigratio** v. *Emigrantes*.
- Episcopi** 59 a.
- Ephemerides**, earum influxus in vitam societatis 101; — bonae edendae, commendandae et propagandae 103; — pravae et perniciosae extirpandae, *ibid.*; — sacerdotis procedendi modus circa pravas 113; — pravas ne legant sacerdotes 150; scribentes sacerdotes rectum scribendi modum observent 168.
- Erectio** confraternitatum, sodalitarum et congregationum 83.
- Errores** circa originem potestatis civilis 137 a.; — socialismi 189 sq. a.
- Essentia** Dei 10, 12
- Ethicum** argumentum de existentia Dei 9 a
- Ethnographica** studia 23 a.
- Eudaimologicum** argumentum de existentia Dei 9 a.
- Eucharistia**, sacramentum, eius fructus et necessitas 50; — usus frequens ex mente ecclesiae et secundum probatos auctores 51 sq.; — cultus 54; — visitatio 55, 139; cf. *Adoratio*, *Communio*.
- Evolutionis** theoria 19 a, 23 a. v. *Descendentia*.
- Examen conscientiae** quomodo illud pueri instituant 17; — sacerdotes quotidie 139 sq.; — *sponsorum* coram parochio 34; — *concurtale* 176; —



- quoad scientiam 177, 178; — bis instituat 178; — de ceteris dotibus 176, 177, 182; — ad obtinendum munus catecheticum 183.
- Examinatores** synodales 176.
- Exercitia** pia ad educationem iuventutis apta 20, 21; — spiritualia aut susceptionem ordinis 136; — pro sacerdotibus 139.
- Existentia** Dei 5 a; — eius probatio naturalis 6 a; — scientifica 7 sq. a.
- Explanatio** catechismi systematica 164.
- Extensio** potestatis ecclesiasticae 76 a.
- Fabrica** ecclesiae visitatur per decanum 206.
- Facta** naturalia 90 a; — dogmatica 93 a.
- Factores** in solvenda quaestione sociali 186 a.
- Facultas** absolvendi a casibus reservatis 156.
- Familia** sacra, associatio 37; — finis et regulae *ibid.*; — indulg. 40 sqq.; — privilegia 41 sq.
- Familias** irreligiosas, lascivas, suspectas clerici ne recreationis causa adeant 145.
- Familiaritas** sacerdotis cum mulieribus 141.
- Famuli** in vita sociali et domestica non possunt negligi 92; — quid docet de iis ecclesia 93; — quid hodie in eorum profectum tentandum 94.
- Feminae**, sacerdotum cum iis conversatio 141; — consanguineae sacerdoti *ibid.*; — earum labores 214 a.
- Femoralia** 147.
- Festivorum** dierum sanctificatio et abusus 54, v. *Sanctificatio. Abusus.*
- Fidei** pericula 2; media contra fidei pericula 4; — relatio ad scientiam 115 a; — relatio ad philosophiam 115 sq. a; — cognitio et defensio 151 sq. a; — defensio et professio 154 sq. a.
- Finis** creaturarum 26 a; — ecclesiae 56 sq. a; magisterii ecclesiastici 72 sq. a.
- Folia** varia edenda et vulganda 103; prava proscripta habeantur 112; sacerdotis procedendi modus circa prava 113 sq.; — prava ne legant sacerdotes 150. v. *Diaria.*
- Forma** unitatis fidei 100 sqq. a; — civitatis christianae 138 a.
- Fructus** ordinatae relationis inter ecclesiam et civitatem 144 a; — errorum circa relationem inter ecclesiam et civitatem 148 sq. a.
- Fundamentum** unitatis fidei 100 a; — incolumitatis perpetuae 108 a; — libertatis naturalis 164 a.
- Generatianismus** 22 a.
- Geologia** 17 a.
- Germania** v. *Operarii.*
- Gradus** ecclesiasticae potestatis 60 a.
- Gratiarum** actio post Missam 137.
- Gregorius Nazianzenus** 124 a.
- Habitus** clericalis 146.
- Hierarchia** ecclesiae 58 a; — ordinis 59 sq. a; — iurisdictionis 61 sq. a.
- Historia** biblica 164; — rela-



- tionis philosophiae ad fidem 122 sqq. a; — originis potestatis civilis 134 sqq. a.
- Historicus** ordo *v. Ordo*; — historicae observationes de sodalitate Ss. Cordis Jesu 193.
- Humanitas** civilis 110 a.
- Immutabilitas** ecclesiae 86 a.
- Imperium** politicum a Deo proficiscitur 129 a; — romanum 134 sq. a; — populare (Volks-souveränität) 136 a.
- Impudicitia** christianae iuventutis periculum 24.
- Inaequalitas** conditionis humanae 202 a.
- Incendium** peccatum reservatum 156.
- Incestus** peccatum reservatum 156.
- Indefectibilitas** eccles. 83 sq. a.
- Indoles** quaestionis socialis 183 sq. a.
- Infallibilitas** ecclesiae 86 sqq. a; — eius obiectum 89 sq. a; — romani Pontificis 96 sq. a.
- Indicis** congregatio 97 a.
- Indifferentismus** 29 a.
- Indulgentiae** apostolatus orationis 64; — sodalitatibus ss. Rosarii 76; — tertii ordinis s. Francisci 81 sq.
- Ingressus** solemnibus in ecclesiam occasione visitationis canonicae 219.
- Iniusta** est doctrina socialistarum 197 a.
- Institutio** ecclesiae 55 a; — puerorum prima 76 a; — theologica in seminario maiori 135 sq.
- Instructio** catechetica visitationi decani obnoxia 207.
- Instrumentalis** cooperatio virium materialium ad progignenda prima viventia 18 a.
- Intemperantia** christianae iuventutis periculum 24; — eius causae 85; remedia contra eam 86 sqq.
- Inventarium** 214.
- Ioannes** Damascenus 124 a.
- Iudiciaria** potestas ecclesiae 81 sq. a.
- Iura** nationis 115; — constitutionalia 119 sqq.; — decanorum 201.
- Iurisdictionis** dominium 27 a; — hierarchia 61 a; — primatus 63 sq. a.
- Ius** proprietatis 194 a.
- Iuvenes** associationibus aggregandi 171; — directio centralis pro organizatione eorum *ibid.*
- Iuventutis** educatio 5; — pericula 23.
- Kant** et Laplace 16 a.
- Labor**, eius valor in paganismo et in aera christiana 89 sq.; — puerorum et feminarum 214 a.
- Laici** 58 a, 186 a; — eis clerici praecellere debent conversatione et habitu 148.
- Lectio** spiritualis 138.
- Lectoria** popularia 104 *v. Bibliothecae.*
- Legislativa** potestas ecclesiae 80 a.
- Liber** in quo concionum thema notatur 159; — confirmatorum 219; cf. *Libri, Diaria.*
- Liberales** strictiores 171 a; — mitiores 172 sq. a.



- Liberalismus** 86 a, 163 a, 170 sqq. a.
- Libertas** 163 sqq. a; — singulorum 163 a; — naturalis 164 a; — societatis civilis 167 a; — cultus 174 sq. a; — sermonis et typi 176 a; — docendi 177 a; — conscientiae 179 a; — eius praesidia 166 a.
- Liberum arbitrium** 165 a.
- Libri**, eorum influxus in vitam societatis 101; — boni edendi et vulgandi 103; — acatholicorum ex professo de religione tractantes 110; — res lascivas seu obscenas ex professo tractantes 111; — qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, proscripti habeantur 112.
- Litterarum studium** v. *Studium*.
- Locupletes** quid sentire oporteat 205 a.
- Ludi**, scenici, quinam cleric. prohibiti 144; — chartarum 144.
- Machinatio** contra suam Majestatem peccatum reservatum 156.
- Macrocosmus** 8 a.
- Magisterium** ecclesiae 71 a, 103 a; — eius institutio 71 sq. a; — finis 72 sq. a; — obiectum 74 sq. a.
- Malorum** causa nostri temporis 116 sq. a; — remedium 117 a.
- Maria** Virgo, eius cultus moralis necessitas 65 sq.; — sodalitas Mariana v. *Congregationes Marianae*; — devotio mensis Maii 66 sq.; — devotio mensis Octobris 67.
- Martyrum** numerus ingens eorumque constantia 45 a.
- Materia** catechismi 159; cf. *Catechismus*.
- Matriculares** libri 214.
- Matrimonium**, vocatio ad id necessaria 33; — in statu gratiae recipiendum 35; cf. *Nuptiae*.
- Media** contra pericula fidei 4; salutis 7; — ordinaria ad gratiam obtinendam 8; — ad vitam christianam 54; v. *Devotiones*, *Cultus*; — ad fovendam pietatem sacerdotis 136.
- Meditatio** 138.
- Mensa** communis parochi et cooperatori 175.
- Mercatores** organizandi 97; — eorum alumni vel adiutores *ibid.*
- Mercatura** clericis prohibita 145.
- Merita** romanorum pontificum pro societate civili 137 a.
- Messias** Christus 38 sqq. a.
- Metaphysicum** argumentum de existentia Dei 8 a.
- Michael** Palaeologus 108 a.
- Microcosmus** 8 a, 9 a.
- Miracula** 34 a; — proprie dicta 43 a, 44 a; — moralia 43 a, 45 sq. a.
- Missae** sacrificium 137.
- Missiones** populares 84.
- Moderatores** societatis typographicae 103.
- Motiva** credibilitatis 37 a.
- Motus** mechanicus 17 a.
- Mulieres** extraneae a sacerdotibus non frequenter invisendae 141.
- Munera** Christi 46 a.
- Mysticum** corpus Christi 78 a, 106 a; — argumentum de existentia Dei 9 a.



- Nationalis** vitæ. *Vita nationalis*.  
**Nationalismus**, eius principium 115, 117; — reiectum 118.  
**Natura** ecclesiae 58 a; — caritatis 184 a.  
**Naturalistae** 171 a.  
**Negativæ** notiones ad cognitionem Dei ducentes 11 a.  
**Negotia** saecularia clericis prohibita 145.  
**Negotiatio** oeconomica licita 145.  
**Newton** 17 a.  
**Norma** catholicorum in actione publica 158 sq. a.  
**Notæ** intrinsecae revelationis Christi 41 a; — extrinsecae 43 sq. a.  
**Nova** philosophia 126 a. *v. Philosophia*.  
**Nuptiæ** 35; quomodo, quando celebrandæ? *ibid.*; — suadendum ut in ecclesia parochiali contrahantur 36; — usus magnorum sumptuum occasione nuptiarum paulatim tollatur 36.  
**Nupturientes** 33.  
**Obedientia** canonica 150; — potestati civili 132 a; — ecclesiae exhibenda 157 sq. a; — magis Deo quam hominibus 152 sq. a.  
**Obiectum** magisterii ecclesiastici 74 sq. a; — infallibilitatis ecclesiae 89 a; — visitationis decanalæ 207; — episcopalis visitationis 212.  
**Obligatio** revelationis 36 a.  
**Observationes** historicae de sodalitate Ss. Cordis Jesu 193.  
**Oeconomica** negotiatio clericis licita 145.  
**Officii** Ss. congregatio 97 a.  
**Officium, officia** sacerdotum 152; — civium catholicorum 166; — parochi 185; — decani 201; — archidiaconi 209; — proleptarii 204 a; — domini 204 a; — veram religionem inquirendi et sequendi 29 a; — reipublicae pervertitur doctrina socialistarum 200 a.  
**Olea** sacra 204.  
**Ontologicum** argumentum de existentia Dei 9 a.  
**Operarii**, eorum misera sors 95; — quibus mediis eis succurrendum 96 sqq.; — in Germania, cura de iis 101; — directio centralis pro organizatione eorum 171.  
**Opifices** 195 sqq. a, 217 a; — et doctrina socialistarum 197 a.  
**Oppugnatio** civitatis christianæ 145 a.  
**Opus** quotidianum quousque duret? 214 a.  
**Oratio** domestica 42; — cum ipsa matutino tempore bona intentio firmumque propositum coniungatur 43; — pro oratione vespertina s. Rosarium recitandum 44; — salutatio angelica, *ibid.*; — ante et post mensam ne omittatur, *ibid.*; — ante catechetica institutionem 164; — pro defunctis in visitatione canonica 219.  
**Origo** mundi 15 a; — hominis 19 a; — animæ 21 a; — potestatis civilis 128 sqq. a; — historia huius quaestionis 134; — errorum socialismi 190 a.  
**Ordo** tertius s. Francisci 77; — eius lex 79 sqq.; — indulgentiae et privilegia 81 sq.;



- visitationis decanalis 205;  
 — episcopalis 217; teleo-  
 logicus 15 a; — triplex uni-  
 versi scl. physicus, ethicus,  
 historicus 6 a; — moralis 30 a;  
 — ordinis hierarchia v. *Hie-  
 rarchia*. — ordinum susceptio  
 136.
- Organicarum** rerum ortus 17 a.
- Oves** cognoscendae a parochio  
 185; — pascendae 66 sq. a.
- Palaeontologia** 17 a.
- Pantheismi** falsitas atque ab-  
 surditas 13 sq. a.
- Parochiales** bibliothecae 104;  
 — a quo administrandae? 105;
- Parochus**, eius officium 184  
 sqq.; — residentia 187; —  
 ovium cognitio 185; — vigi-  
 lantia pastoralis 186; — relatio  
 ad cooperatorem 173 sq.
- Patres** ss. ecclesiae 123 a; —  
 probant originem societatis  
 civilis 130 a.
- Patrini** in sacramento confirma-  
 tionis 215.
- Patrocinium**, decreta contra sal-  
 tationes eius occasione 48 sq.
- Patronatus** 177.
- Perfectiones** Dei 11 a.
- Pericula** fidei 2; — pervers-  
 sionis 6 sq.; — christianae  
 iuventutis 23 sqq.
- Periuratio** peccatum reservatum  
 156.
- Perniciosa** rerum novarum stu-  
 dia 146 sq. a.
- Perpetuitas** primatus Petri 94 a.
- Persona** Christi 42 a.
- Perturbatio** rerum omnium ex  
 doctrina socialistarum 201 a.
- Petra** ecclesiae 64 sq. a.
- Philologica** studia 23 a.
- Philosophi** gentiles 122 a.
- Philosophia** thomistica 135;  
 — relatio ad fidem 115 sq. a;  
 — utilitas 117 sq. a; — re-  
 stauratio 127 sq. a; — sternit  
 iter ad fidem 118 a; — varias  
 veritates fidei demonstrat 119 a;  
 — veritates fidei tuetur 120 a;  
 — nova 126 a.
- Physicum** argumentum de exi-  
 stentia Dei 9 a.
- Physiologica** studia 23 a.
- Pietas** sacerdotis 136.
- Pilei** 147.
- Poenae** in transgressores legis  
 circa libros prohibitos statutae  
 113.
- Poenitentiae** sacramentum, eius  
 fructus et necessitas 50.
- Politica** vita sacerdotis v. *Vita*.
- Pontifex** romanus 93 a, 94 a.
- Popularia** lectoria 104.
- Portio** canonica decano in vi-  
 sitatione 207.
- Possessio** privata 196 a; — a  
 republica tueatur 212 a.
- Potestas** ecclesiastica 70 a; —  
 legislativa 80 a; — iudiciaria  
 81 a; — coactiva 82 a; — ci-  
 vilis, eius origo, utilitas verae  
 doctrinae necnon historia quae-  
 stionis de origine eius 128  
 sqq. a; — politica temporibus  
 recentioribus 136 a.
- Praeparatio** ad Missam 137.
- Praesidia** libertatis 166 a.
- Presbyteri** 59 a.
- Primatus** Petri 94 a; — iuris-  
 dictionis 63 sq. a.
- Principatus** in societate civili  
 138 sq. a.
- Principes** christiani 135 sq. a.
- Principium** vitale 17 a; — na-  
 tionalismi 115, 117; — reiectum



- 118; — principia generalia circa distributionem materiae catechismi 164. — principia educationis 5.
- Privilegia** tertii ordinis s. Francisci 81.
- Probatio** existentiae Dei naturalis, scientifica 6 sq. a.
- Processio** theophorica 56.
- Proclamationes** ad matrimonium 35. *v. Dispensatio.*
- Professio** et defensio fidei 155 sq. a.
- Prohibitio** librorum lege naturali 106; — lege positiva 107; — librorum in specie 109.
- Proletarius** 204 a; — quid proletarios sentire oporteat? 206 a.
- Propagatio** religionis christiana 45 a.
- Prophetiae** 34 a, 45 a.
- Propheticum** munus Christi 49 a.
- Proprietas** 194 a.
- Protocollum** cum sponsis 34; — de conferentiis pastoralibus 192.
- Prudentia** in actione publica catholicorum 161 a; — politica 162 sq. a.
- Psychologicum** argumentum de existentia Dei 9 a.
- Puellae** 98; cf. *Virgines, Adolescentes.*
- Puerorum** labores 214 a.
- Quaestio** socialis 169, 183 sqq. a.
- Quot** homines ab initio? 23 a.
- Raiffeisen**, cassae secundum eius methodum 91.
- Ratio** 164 a; — probat existentiam Dei, *v. Deus*; — originem potestatis civilis 131 a.
- Rationalistae** 84 a, 171 a.
- Redactores** ephemeridum 103.
- Refutatio** errorum socialismi 191 sqq. a.
- Regimen** ecclesiasticum 105 a.
- Regium** munus Christi 50 sq. a.
- Regula** fidei 72 sq. a; — morum 41 a.
- Relatio** scientiae ad fidem 115 a; — philosophiae ad fidem 115 sq. a; — ecclesiam inter et civitatem 138 sqq. a, 142 sq. a. — inter cooperatorem et parochum 173 sq., 208.
- Religio** 28 a; — vera necessaria pro societate civili 30 a; — in civitate christiana 140 sq. a.
- Remedia** contra pericula christianae iuventutis 26 sqq.; — malorum nostritemporis 117 a; — contra errores de origine potestatis civilis 137 a; — ad sanationem miseri status opificum 201 sqq. a.
- Renovatio** morum per religionem christianam 45 a;
- Requies** in diebus festis 213 a.
- Reservata** peccata 156; — facultas absolventi *ibid.*
- Residentia** cooperatoris 173; — parochi 187.
- Resistentia** potestati civili an licita? 133 a.
- Respublica** debet conferre opem ad solutionem quaestionis socialis 209 sq. a.
- Restauratio** philosoph. 127 sq. a.
- Restitutio** iuris petendi debiti coniugalitatis 204.
- Revelatio** supernaturalis est necessaria 32 sq. a; — cognoscibilis 34 a; — eius obligatio 36 a; — christiana 38 sqq. a; — Christi 41 sqq. a.



- Romani** pontifices, eorum merita pro civili societate 111 a; — pro potestate civili 137 sq. a; — eorum doctrina de relatione inter ecclesiam et civitatem 149 sq. a.
- Rosarium** B. V. M. recitent vespere fideles 44; — sacerdotes 138; — sodalitas 69 sqq.
- Sacerdos** — qua confessarius 153; — qua concionator 156; — qua catecheta 159; — in vita politica 165; — in vita sociali 169; — officia eius v. *Clericus, Clerus, Cura*.
- Sacerdotale** munus Christi 46 sq. a.
- Sacra** familia v. *Familia sacra*.
- Sacramentorum** frequent. 208
- Salarium** 215 a.
- Saltationes** periculosae sunt 47; — decreta contra eas occasione patrociniurum 48 sq.
- Salutatio** angelica 44.
- Sanctificatio** dierum festivorum 45; — gravitas huius obligationis *ibid.*; — abusus 46 sqq.
- Scholae** visitatio per decanum 207; — per episcopum 218.
- Scholastici** 124 a.
- Scientia**, eius relatio ad fidem 115 a.
- Scriptores** belletristici 103.
- Scriptura** sacra probat originem societatis civilis 129 sq. a.
- Seditiones** 134 a.
- Seminarium** clericorum 128; — minus vel puerorum 131; — eius constitutiones, collectiones ad augendum fundum pro sustentatione 133; — maius 134; — scientificum 136.
- Sermonis** libertas 176 a.
- Sobrietas** sacerdotum 142.
- Socialis** quaestio, eius indoles et factores v. *Quaestio*; — actio periculorum plena 170; — vita foveatur a sacerdotibus *ibid.*; — scientia v. *Studium*.
- Socialismus** 86 a; — 188 sqq. a; — et opifices 197 a.
- Societas** catholica typographica 102; — catholico-politica Carnioliae 125 sq.; — commercialis vel industrialis, quaenam clerico prohibita? 146; — ecclesiae 57 a; — hierarchica 69 a; — perfecta 77 sq. a, 106 a; — domestica 113 a, 144 a, 193 sq. a. — civilis, v. *Civitas, Potestas, Relatio*; — (*društva*) v. *Associatio*
- Socii** pravi christianae iuventutis periculum 25.
- Sodalitas** adorationis perpetuae 55; — a Ss. Rosario 69 sqq.; Mariana v. *congregatio Mariana*; — Ss. Cordis Jesu pro sacerdotibus 193 sqq.; — (*društva*) v. *Associatio*.
- Sodalitia** ad suppetias mutuo ferendas 91, 217 a; — artificum 217 a; — iure naturae coalescunt 218 a; — (*društva*) v. *Associatio*.
- Spectacula** publica, quaenam clericis prohibita? 144. v. *Ludi*.
- Sponsalia** 33; — quomodo vivendum tempore sponsalium 34, 35; — non clandestina sed publica 34; — protocollum coram parcho *ibid.*
- Stabilitas** perpetua religionis christianae 45 a.
- Status** varii hominum 88; — cura pro variis statibus ex



- parte sacerdotis 90, 97; — pontificii usurpatio 118; — religiosus parochianorum in visitatione inquirendus 214; — civilis 128 a; v. *Potestas civilis*; — eius relatio ad ecclesiam 128 sqq. a
- „**Strike**“ 213 a.
- Studium** litterarum 148; — theologiae 149; — disciplinarum profanarum 149; — scientiae socialis 149; — quaestionis socialis 171; — doctrinae christianae 153 sq. a.
- Successus** examinis concursalis 180.
- Superbia** christianae iuventutis periculum 23
- Supereminetia** nomina Deum significantia 11 a.
- Suprematia** populi 168.
- Synodus** dioecesisana 1; — eius indictio III; — acta XII-XXXIX; — catalogus eorum qui interfuerunt 224; — approbatio decretorum 221.
- Systema** constitutionale 119.
- Talaris** vestis 147.
- Teleologicum** argumentum de existentia Dei 9 a.
- Temeritas** in actione publica catholicorum 162 a.
- Temperantia** 144.
- Tertius Ordo** s. Franc., v. *Ordo*.
- Theologicum** argumentum de existentia Dei 9 a.
- Thomas** Aquinas 125 a.
- Tolerantia** 179 a; — civilis falsarum religionum 31 a.
- Tonsura** 147.
- Traditiones** 23 a.
- Traducianismus** materialis 22 a; — spiritualis *ibid.*
- Transformismi** theoria 19 a. v. *Descendentia, Evolutio*
- Tribunalia** profana clerici ne adeant 146.
- Typi** libertas 176 a.
- Typographica** catholica societas 102
- Unitas** Dei 5 a; — naturae et personae in homine 21 a; — ecclesiae 99 a; — fidei in ecclesia 99 sq. a; — regiminis ecclesiastici 105 sq. a.
- Usus** potestatis civilis 133 a.
- Utilitas** philosophiae 117 sq. a; — doctrinae concernentis originem potestatis civilis esse a Deo 132 a; — proveniens ex solutione quaestionis socialis 216 a.
- Utraque** classis hominum (locupletium et pauperum) altera alterius indiget 203 a.
- Valor** laboris 89.
- Venationes** clamorosae 144.
- Vestitus** clericorum 146.
- Vigilantia** pastoralis parochi 186.
- Virgines** cf. *Adolescentes*.
- Virtutes** sacerdotibus necessariae 140.
- Vis** religionis ad componendam litem sociale 203 a.
- Visitatio** canonica 200; — decanalis 201; — eius ordo 205; — obiectum 207; — quotannis 212; — archidiaconalis 210; — quotannis 212; — episcopalis 210; — eius necessitas 210; — obiectum 212; — praeparatio 214, 217; — ordo 217; — „Promemoria“ conficiendum *ibid.*



**Vita** vegetativa, sensitiva et intellectiva in homine 20 a; — quotidiana 184 a; — domestica, socialis et politica fidelium a sacerdotibus fovenda et defendenda 36, 208; — nationalis fidelium 114 sq.; — politica 114 sq.; — politica sacerdotis 165; — privata et pastoralis clericorum 127, 208;

— socialis sacerdotis 169; — sanctorum in catechesi adhibenda 164.

**Vitale** principium v. *Principium vitale*.

**Vitrici** ecclesiae parochialis 217.

**Vocationes** variae hominum 88.


**Voluntas** propria christianae iuventutis periculum 23.













NARODNA IN UNIVERZITETNA  
KNJILNICA



00000479608



